



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
83 J 17



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
83 J 17



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
83 J 17



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
83 J 17

~~CST~~^B
KW 83 J 17

SI

SIBRANDI LVBBERTI
Responsio
AD
PIETATEM
HVGONIS GROTI.



FRAN^E Q^V ERAE,
Excudebat
ROMBERTVS DOYEMA,
Anno 1644.



МЕТАФИЗИКА

АЛГОРИДИ

САНКУСИАН

Европей

АМЕДОУС ДУЕРСМОЯ

Академия

Nobilissimis & Amplissimis Dominis,
Dominis

SENATORIBVS GELDRIÆ,
DEPVATATIS ORDINVM VELAVIÆ,
& Consulibus civitatis Arnemienſis,

SIERANDVS LVBBERTVS

S.D.P.



V GO GROTIUS nullo unquam
verbo à me læsus , scripsit in me
declamationem plenam vanitatis
& arrogantiæ, eam vocat PIETA-
TEM ORDINVM HOLLANDIAE.
In hac totum ordinem Ecclesiarum
Belgicarum, presbyteria, clas-
ses, Synodos: omnes Ecclesiarum
ministros, & electiones illorum:

totana deniq; rationem gubernandæ Ecclesiæ , & omnia
judicia Ecclesiastica, Presbyterialia, Classicalia, Synodica
prout haç tenus in Ecclesiis Belgicis exercita fuerunt, pe-
culanter perstringit, atque ita universam Ecclesiam Bel-
gicam per meum latus petit. In principio scribit me li-
bertatem sacra docendi passim exagitare , dominatum
despicere , & potestates convitijs incessere. Vtramque
verò hanc accusationem nihil aliud esse quam vanam &
inertem calumniam testantur mei libri. Dicit me scri-
bere Curatores Academicæ Leidensis, Consules Lei-
denses , & Ordines Hollandiæ in eo esse , ut hæreses in
Ecclesiam introducant. sed hoc esse æquè vanum , aut
etiam vanius quam illud prius, mei libri testantur. Addit

me dicere Ordines Hollandiæ esse autores scelerum, ingenij petulantes, perturbatores orbis terrarum, populi concitatores, qui omnia seditionibus misceant, Epicuræos etiam & Libertinos latentes sub Politicorum nomine, & ultro faciant alantque Ecclesiæ dissidia, & in ijs se suaviter oblectent, religionem denique ipsam ut fabulas & vulgi terriculamenta derideant. Dicit me hæc scribere in præfatione, quam Socino à me edito profixi. Crediderim hunc hominē prorsus depuduisse, nam si vel unicum micam pudoris reliquā habuisset, hoc nunquam scripsisset. Hæc enim præfatio advocatum refutat, & manifestè ostendit in hac criminatione tot esse mendacia, quot sunt verba. Tantum enim abest, ut ego hoc de Ordinibus Hollandiæ scripserim, ut perpetuam Ecclesiæ miseriā, cum qua illa semper confictata est, deploaverim, eamque probaverim exemplo Achabi accusantis Eliam. 1. Reg. 18. 17. Sacerdotum Ieremiam oppugnatum. Ierem. 26. 11. Atheniensium Paulo resistentium, Act. 17. 18. Iudæorum Christum accusantium. Ioh. 7. 12. Luc. 23. 5. Thessalonicensium populum in Paulum concitantum. Act. 17. 6. Eusebij Nicomediensis Athanasium oppugnantis. Theod. lib. 1. 19. & 20. Ordinum vero Hollandiæ in tota ista præfatione ne meminerim quidem. Exstat hæc præfatio, & exstat ad Advocati mendacioquentiam redarguendam. Ut mirari satis nequeam, quid juvenem rhetorem impulerit, ut tam vanam & crassam calumniam in me conjiceret. Post hæc scribit me ridere & subsannare Ordines Hollandiæ. Ego vero non risi neque subsannavi Ordines; sed Conradum, quia hoc fecit, reprehendi. Aliud autem est legitimum Magistratum subsannare, aliud est eum qui hoc facit, redarguere. neque hoc ignorat Hugo: sed voluit aliquod
suæ

suæ rhetoricationis exemplum exstare. Cùm enim in animo haberet Conradum commendare, & propter hæfsum, quas defendit, fœditatem hoc directè facere nō auderet; confugit ad insinuationē; palam negat se illum defendere, & cognitioni de ipso institutæ præjudicare velle. Interea Conradum immodicis laudibus effert, adversarios ejus injustis calumniis deprimit. Hæreses Conradi extenuat, easq; vocat fabulam quæsiti Socinianismi. statum mutat, & scribit Conradū esse prætextum; veram bilis causam esse, quod Ordines Hollandiæ illospastores, qui Sibrandianæ sententiæ de prædestinatione subscribere recusant, & jus quod Magistratus in rebus fidei habent, asserūt, ex suis sedibus ejicere, & prorsus exterminare nolunt, ac tandem id ipsum quod Conradus fecit, & cuius ego illū publicè accusavi, palam ab illo aufert, & in me transfert. Hec autē omnia facit tam crassè, ut etiā illi, qui artē ignorant, imposturam videant, & rhetorem detestentur.

In secunda parte multa dicit de prædestinatione, ut imperito lectori persuadeat, nos ob doctrinam de Prædestinatione cum Conrado contendere: cùm tamen ipse non ignoret, & libri tam Conradi, quam nostri testentur, non me illi, sed illum mihi de prædestinatione litem movisse. & me non ob prædestinationem: sed ob unitatem essentiæ divinæ, ob trinitatem personarum in una & eadē individua essentia. ob earundē personarū θυσίαν. ob duarum naturarum unionem in una persona. ob personam & officium Iesu Christi, ob fidem justificantem, & justificationē nostri cum Conrado disputare. Vnitatem enim essentiæ divinæ, quicquid verbo æquivocet, reipsa tollit. Docet enim in Deo esse quatuor essentias, unam communem, & tres proprias. Ut hoc tegat, distinguit essentiam in absolutam, & relativam; acsi relativa essentia

* 3 non

non sit essentia. Atqui hoc ipsum est, quod improba-
mus. Vna enim absoluta essentia, & tres relativæ essen-
tiæ, sunt quatuor essentiæ. Huc accedit illum non ag-
noscere ullam essentiam, nisi quæ sit aut substantia, aut
accidens. Explicit igitur, An hæ quatuor essentiæ sint
quatuor substantiæ? An verò sint quatuor accidentia?
vel an sint una substantia, & tria accidentia? vel denique
an sint unum accidens, & tres substantiæ? Vnum enim
ex his quatuor ei necessariò dicendum est. Trinitatem
personarum in una & eadem individua essentia, eodem
modo, quicquid æquivocet, convellit. Infinitatem enim
essentiæ inter illa, quæ simpliciter ~~adūvara~~ sunt, numeran-
dam censet. sed in omni re finita tot sunt essentiæ, quot
personæ. Tñ divinarum personarum ~~āmōstia~~ prorsus de-
struit. Docet enim unamquamque personam habere
suam quandam propriam essentiam, per quam est id quod
est. Nemo autem negaverit, illas personas quarum que-
libet habet propriam quandam essentiam, per quam est
id quod est, à cœteris personis differre essentialiter. In-
suis Scholijs negat ea differre realiter & essentialiter, que
nusquam locorum differunt. quod si verum est, sequitur
illa quæ realiter & essentialiter differunt, etiam localiter
divisa esse. sed divinæ personæ secundum hanc novam
Theologiam differunt realiter & essentialiter. Quid ni
igitur secundum illam novam philosophiam localiter
divisiæ sunt? In iisdem Scholijs docet essentiam divinam
absolutè sumptam, esse tribus personis communem, &
quamlibet personam habere propriam quandam essen-
tiæ, per quam est id quod est. quælibet igitur divinarū
personarum secundum hanc novam Theologiam con-
stat duabus essentiis, ijsque inter se realiter diversis, una
sc. absoluta, & altera relativa. Didicerim libenter ab ad-
versario.

verfario. An non quicquid constat duabus essentiis inter se realiter diversis, propriè loquendo sit compositum? Vnionem duarum naturarum in una persona destruit. Docet enim Deum secundum essentiam suam tantùm in cœlo esse: humanam verò naturam tempore humiliatis tantùm in terra fuisse, ipse adversarius, opinor, non negaverit. Sed illas duas naturas, quarum una secundum essentiam suam non in terra, sed in cœlo tantùm est; altera secundum essentiam suam non in cœlo, sed in terra tantum est, esse personaliter unitas, est simpliciter impossibile. Deitatem Iesu Christi oppugnat. Docet enim quæcumque ab alio sunt non simpliciter æterna, neque infinita, neque absolute necessaria esse; sed circum scripta, & sua natura contingentia esse, hoc est, talia quæ non esse possint. Subjugat quis *Filiū Dei esse à Patre*. Annon his positis, colligere poterit, Filiū non simpliciter æternū, neque infinitū, neque absolute necessarium esse sed esse circumscripsum, & sua natura contingentem, hoc est, posse non esse. ac proinde non esse æternū Deum? Personæ Christi detrahit. scribit enim Christum acceptissimam adoptionem, quam nobis promisit. Verum qui divinam adoptionem, quam nobis promisit, accepit, & non per essentiam Filius Dei est, non potest noster Mediator esse. Addit Iesum Christum ante resurrectionem fuisse mortalem doctorem, & post eam dominum cœli à Deo populo datum esse, ac si ante resurrectionem non fuerit Dominus cœli. sed si Christus ante resurrectionem non fuit Dominus cœli, sequitur eum non esse æternū Deum & ob eam causam nostrū Mediatorem esse non posse. Officium Mediatoris energet. scriptum anim edidit, Iesum Christum ob nullam aliam causam excitatum esse, quam ut confirmaret ea

vera

vera esse, quæ Dei nomine dixerat. Verum qui propter nullam aliam causam resurrexit, non potest noster Mediator esse. Nisi enim nos justificet, & nobis patrem propitiet, munus Mediatoris non impleverit. Longe aliter de fine resurrectionis Christi scribit Apostolus, cùm inquit *resuscitatus est propter justificationem nostri*. Doctrinam de justificatione nostri prorsus pervertit. Docet enim Deum nobis peccata remittere nullâ plenâ solutione pro illis acceptâ. At verò pro quorum redemptione Deus à Christo lytrum, hoc est, satisfactionem non accepit, illi nunquam justificabuntur. Fidem justificantem labefactat; Docet enim *fidem esse integrum & perfectam illam justitiam*, quâ scilicet nos justificamur; quod si verum est, sequitur obedientiam sive justitiam Christi non esse integrum & perfectam illam justitiam, quâ nos justificamur. Idem docet *fidem esse illam inherentem justitiam, quam Papista semper urgent*. Sed si hoc verum est, sequitur Lutherum cum omnibus reformatæ Ecclesiæ doctribus, & Eccium cum omnibus papalis Ecclesiæ doctribus tam fuisse & adhuc esse rudes, ut ignoraverint, & adhuc ignorent verum statum controversiæ de hoc præcipuo salutis nostræ articulo. Ut uno verbo omnia dicam, totum Christianismum labefactat, & ipsum fundatum salutis nostræ pervertit. Illius Scholia ostendunt verum esse quod scribo; in his enim has hæreses sibi objectas non corrigit; sed eas partim tergiversando tegit, partim prætereundo dissimulat, partim æquivocando defendit. sed frustra laborat. nam neque nostra refellit, neque sua defendit, vix ad centesimam partem responderet, ubique tumultuatur, & multis exemplis docet sibi omnem patientiam per meos commentarios ablatam esse. Mihi satis est hæreticum ex æquivationum crypta,

crypta, qua se occulere studuit, extraxisse, & hæreses ejus ita detexisse, ut nemo nisi data opera cæcutire velit, illas ignorare, multo minus ab isto decipi possit. Post hac sequar illud Apostoli, *Hæreticum hominem post unam arque alteram admonitionem rejice.*

In tertia parte cōvellit Hugo omnia iudicia Ecclesiastica, Presbyterialia, classicalia & synodica, quæ hactenus in Ecclesiis Belgicis exercitata fuerunt. Omnia transfert ad Magistratum. Quin eousq; progreditur, ut contendat supremum Magistratū etiam fine Synodo de articulis fidei judicare posse. Verum si vel mediocriter in Ecclesiasticis & politicis disciplinis exercitatus fuisset, non ignorasset Magistratum non habere tantam potentiam in Ecclesia, quantam habet in politia. In politia enim potest novas leges ferre, & subditos etiam invitatos ad illas observandas cogere: sed non potest in Ecclesia novos fidei articulos condere, neque potest subditos suos ad illos observandos per vim adigere. Huc accedit, subditos non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam debere legibus à Magistratu conditis parere, sed non debere propter conscientiam articulis fidei à Magistratu conditis fidem adhibere. Quin imo non debent subditi novos hujusmodi articulos fide amplecti. In ejusmodi enim casu semper tenēda est illa regula. *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Nemo negaverit Carolum Quintum in Germania, Franciscum, Carolum, Henricum in Gallia, Philippum ante hoc bellum in Belgica fuisse supremum Magistratum. neque quisquam ferè est, qui ignoret, quænam edicta illi reges de Religione in Germania, Gallia, & Belgica promulgarint. Expendat igitur Hugo, an salvis illis principiis, quæ in sua pietate posuit, possit vel excusare, vel defendere, quod Iohannes Fredericus

dericus Elector Saxoniæ, & Philippus Landgravius Has-
sia in Germania, Ludovicus Condævus & Casparus Col-
linius in Gallia, & Wilhelmus Princeps Aurora in Bel-
gica pro defensione & opere bellū gesserint, & Religio-
nē armis vindicarint. De rebus tam magnis & difficilib.
non temerè statuendum est: sed diligenter (quicquid di-
cat Wilhelmus Berclaius Hugonis præceptor) distin-
guendum est inter subditos. Non omnes enim sunt e-
jusdem ordinis & gradus. Deinde res ipsæ & illarum cir-
cumstantiæ diligenter expendendæ sunt, ut clarè lique-
at, quid liceat, & quid non? Quanto autem rectius alter
ille Iudas Machabæorum nostræ libertatis secundum
Deum vindex & assertor;

Poor Godt wil ikh belijden
End' zyne hooghe macht/
Dat ik tot gheenen tyden
Den Coninck hebbe verachte.
Maer dat ikh Godt den Heeren
End' zyne Majesteyt/
Hebb moet en obedieren
In der gherechticheyt.

Ex animi sententia jurat fortissimus heros se Regi nun-
quam negasse debitam obedientiam. Historiæ testantur
illum semper suggestisse Regi salutaria, moderata & pa-
cifica consilia, addunt has provincias nunquam defectu-
ras fuisse à Rege, si Principis consiliis obtemperatum
fuisse: verum cum sanis consiliis nullus locus esset om-
nino, & Rex in miserorum subditorum conscientias sæ-
viret, atque ita quod solius Dei est, sibi raperet; fatetur
optimus Princeps se coactum fuisse Deo obedientiam
præstare. neque propterea vel spreti Regis, vel læsæ ma-
jestatis jure postulari potest. Christus enim mandat, ut
Casarix

Casari demus non simpliciter omnia, sed ea tantum, quae sunt Caesaris, & ut Deo readamus, quae Dei sunt. Cùm hoc subditi faciunt, non delinquent; sed cùm Magistratus propterea in subditos sæviunt, se gravibus peccatis obstringunt. Scio ego Romæ, priusquam ad Christum converteretur, neminem pro Deo publicè cultum, neque ullam religionem publicè receptam fuisse, priusquam Senatus populusq; Romanus de illo, vel de ista decreta fecissent: sed inter Christianos longè alia ratio est. Omnes enim magistratus Christiani tam superiores quam inferiores tenentur hac lege. Ego Iehovah Deus tuus, Non erunt tibi Dij alieni eoram me. & ista, Custodi & fac secundum omnem legem, quam precepit tibi Moses servus meu; non declina ab ea ad dextram, aut ad sinistram.

In quarta parte ministros Ecclesiarum, pastores, presbyteros, diaconos, illorumque electiones, prout hactenus in Ecclesiis Belgicis usitatæ fuerūt exagitati. Criminatur nos ejecisse Episcopos ex Ecclesijs, atq; ita innuit nostras Ecclesias non habere Episcopos: Verum si vel paucos dies in sacris litteris descendis, & orthodoxa antiquitate cognoscenda ponere voluisset, potuisset discere omnes pastores qui Ecclesiam Dei ex legitima vocatione pascunt, esse Ecclesiæ Episcopos. Deinde potuisset ex pastorum nostrorū & exempli in Dei verbo propositi collatione colligere, maiores nostros, qui hujus Reformationis autores fuerunt, non ejecisse Episcopos ex Ecclesiis Belgicis, sed reduxisse illos ad eum ordinem, qui ab ipsis Apostolis institutus fuit. Potuisset ex iisdem fontibus discere, omnes presbyteros qui laborant in doctrina, hoc est, pastores, sive Episcopos, qui Apostolos proxime secuti sunt, ab eodem Domino, eadem autoritate, ad idem munus, inter ejusdem Domini subditos,

*** 2 propter

propter eosdem fines, capessendum, vocatos esse. ac
proinde illos omnes ratione muneris, quo funguntur,
inter se æquales esse. potuisset etiam discere, ministro-
rum Ecclesiæ electionem pertinere ad Ecclesiam. Ope-
ram perdit, dum ex Beca similisque farinæ hominibus,
& ex jure patronatus quod novum, & ad opprimendam
Ecclesiæ libertatem à Papis introductum est, suam op-
inionem probare conatur. Nulla enim humana, nedum
papalis autoritas potest Dei verbo, & exemplo quod in
Dei verbo comprehensum est, præjudicare.

Has injurias mihi & Ecclesiæ ab Hugone factas, judi-
carunt multi tam politici quam Ecclesiastici viri dissimu-
landas non esse. Illas igitur ab Ecclesia & à me mode-
stè repuli. non sum rhetorem recriminatus. Ius Eccle-
siæ sincerè defendi, ordines Ecclesiasticos, qui à nostris
Ecclesiis recepti sunt, diligenter probavi. potestatem
quam Magistratus in rebus Ecclesiasticis habet, bona fi-
de assérui. De omnibus hisce capitibus ita differui, ut
sperem me moderatis & pacis amantibus hominibus fa-
tisfacturum esse. Iudicia reliquorum, qui nihil nisi dis-
sidia quærunt, quo loco habenda sint, quilibet etiam
me tacentे videt.

Hanc responsonem, Nobilissimi & Amplissimi viri,
ad vos mitto; cùm ut videatis innocentiam meam; tum
etiam ut jus Ecclesiæ contra hos inquietos homines de-
fendatis; tum verò imprimis, ut ~~et~~ Sodocia~~ia~~ constanter
propugnetis. Vos ipsi videtis, his malis vix aliam rem
quam nationalem Synodus mederi posse. Suadete igi-
eur, viri præstantissimi, ut illa quam primum convoce-
tur: aut si hoc tempore convocari nequit, saltem osten-
dite æquum esse, ut Ordines Hollandiæ socii vestri illos
qui primi harum tragœdiarum auctores sunt, & in Hol-
landia

BIOBCE

**

Ilandia agunt, coerceant, ne hujusmodi hæreses publicis scriptis asserant, neque in bonorum virorum famam per calumnias & mendacia grassentur. ut scandala, quibus multi insirmi offenduntur, vitentur, & nos, quod semper cupivimus, quiescere, & aliis rebus vacare possimus. Sunt in vestra Geldria viri excellentes & præstantes, F R I D E R I C V S S A N D I V S & I O H A N N E S de G o c h , qui ad magnas dignitates promoti, unà cum coeteris Rempub. Gelricam cum magna laude administrant. Hi sæpe ex me audiverunt, quām sedulò jus Magistratus asseram, & quam religiosè, cùm id necessitas exigit, de Prædestinatione differam. Sunt etiam in Ecclesia & Academia vestra viri doctissimi I O H A N N E S F O N T A N V S , & A N T H O N I V S T H Y S I V S , qui de Ecclesia Geldrica optimè meriti sunt, & adhuc merentur. hi mihi de his ijsdem rebus idoneum testimonium perhibere possunt. neque dubito ego, quin si hanc defensionem perlegetis, intellecturi sitis, Hugonem nullam habuisse causam, quare in Ecclesiam ejusque ordines universos, & me tam petulanter invehieretur. Valete viri præstantissimi. Deus omnipotens regat vos suo Spiritu, ut cognitam & agnitam veritatem constanter tueri, & Re mpib. Geldricam prudenter & feliciter administrare possitis.

Reffonsio ad Pietatem
HVGONIS GROTI.



MISISTI in me nuper, Hugo
Groti, acerbam sanè invectivam
præter expectationem meam. In
qua licet variis me injuriis affe-
ceris; tamen si illis contentus fu-
isses, imperasse animo meo ob
ingenium tuum, ut sine responso
rem transmittenret. Sed quoniam
per latus meum etiam veritatem
doctrinæ cœlestis, & statum Ecclesiarum in his provin-
ciis petisti, coëgisti me, ut petulantiae tuæ bono publico
responderem. Quod si dolorem tibi allaturū est, æquum
fuerit, ut ipsi tibi id imputes. Ego verò dum respondi,
hoc operam dedi, ut multò modestius ætate jam gravis,
& immerito lacestitus te juvenem laceſſentem, & injuriis
priorem tractarem, quam tu juvenis senem me, innocen-
temque, & nulla re malè de te meritum excepisti.

Scribis me *dominatum despicere, & dignitates convitys*
inceſſere: Grave crimen, & non ferendum in Repub. be-
nè constituta: sed dum hoc probare conaris, admittis
multa, quæ non decent Christianum. Etenim statim in
ipso initio dicis, *me libertatem prophetandi p. iſſim exagita-*
re. Quod cùm dicis, ipſe non ignoras, te apertam vim
facere veritati. Nam in scriptis meis, quæ legisse te fatis
declaras, ego libertatem prophetandi non ſolūm non

A exagito;

RESPONSIO

2

exagito; sed approbo, laudo, & assero eam, Declaratio-
ne pag. 140. *Libertas prophetandi fuit publicè recepta, &*
longo usu stabilita in Ecclesiis nostris: nos eam quotidiè in o-
mniibus publicis concionibus cum magno fructu, sape etiam cum
magna animi latitiae audimus. Et paulò post. *Debet in Ec-*
clesia vigere prophetandi libertas: sed hac libertas non vagi-
bitur in infinitum, alioquin in fœdam licentiam transforma-
bitur. Quid igitur? Semper se coniinebit inter analogiam fi-
dei. Inter hanc metam si se continuerit, erit prophetandi li-
bertas: si hanc metam transgressa fuerit, erit prophetandi fal-
sitas. Hæc sunt verba mea publicis literis mandata; & ta-
men libuit tibi scribere, me passim exagitare libertatem
prophetandi. Hujusmodi exordium conveniebat tuæ
pietati! Addis me atrox crimen deferre, vid. *Hereses in Ec-*
clesiam introduci. Quod utinam falsum esset! verum quia
tu hoc videre nequis, & me propter hoc indicium
criminaris; est mihi hoc tam clarè probandum, ut vide-
re possis verum esse quod dixi.

Conradi discipuli, qui Steinfordio Franicam venie-
bant, palam in conspectu totius Academiæ, cum magna
pervicacia contendebant *Deum esse finitum, compositum, in*
Deo esse potentiam passivam, in eodem esse subjectum & ac-
cidens. Cùm æquè magna pervicacia, & in ejusdem A-
cademiæ conspectu contendebant, falsum esse, quod u-
niversa Ecclesia ex Dei verbo docet. *Bona opera non pre-*
cedere justificandum, sed sequi justificatum. Et cùm illis hac
in re contradiceretur, palam jactabant se velle *pro his do-*
gmatis, & pro suo Vorstio ad sanguinem usque pugnare; atque
his clamoribus magnas turbas in Ecclesia & schola Fri-
sica concitatabant, efficiebantque ut universa penè Frisia
his

AD PIETATEM HUGONIS.

his novitatibus commota perturbataque stupereret. Quin eousque progrediebatur, ut jurisiurandi quo Scholæ obstricti erant, obliti hæreticum librum ementito nomine loci, Typographi, & Privilegiorum, suis sumptibus in nostra urbe clam & occulte imprimi curarent, eumque longè lateque disseminarent. Illorum Præceptor CONRADVS VORSTIVS Steinfordij multas hæreses palam & occulte docebat, ex Socini libris blasphemias & hæreticas epitomas, de *Filiatione*, de *Satisfactione*, de *se-
ximo capite ad Romanos*, &c. consarcinabat, & discipulis suis commendabat; ipsius Socini libros habebat in magna existimatione, eosque suis discipulis laudabat, & describendos dabat: tantum denique istorum legendorum desiderium in iis excitabat, ut se dies noctesque in iis describendis fatigarent. Cum Papistas oppugnaret, callidè propugnabat, & simul inculcabat Socinianismum. Hujus rei evidens exemplum exstat in Antibellarmino, pag. 606. ubi scribit, *fidem esse integrum & perfectam no-
stram justitiam*, pag. 613. *Fides est illa justitia inhærens,
quam adversarij Papistæ semper urgunt*. Neque hic subtilitit iste ardor introducendi Socinianismi; sed eousque progressus est, ut blasphemum & hæreticum librum Socini, quem ipsi Socinistæ gloriantur esse tacitam σταγωγὴν ad illam veritatem, quam ipsorum cœsus prophisenunt, in capita distribuerit, correxerit, annotationibus illustrarit, multisque locis auxerit, lectori tanquam utilem & necessarium librum commendarit, & Steinfordij, ut per inferiorem Germaniam, & vicinam Westphaliæ spargeretur, excudi curarit. Si hæc ita ut par est expendes, Hugo, non negabis, spero, esse, qui hæreses in Ecclesiam.

A 2 intro-

introducere conentur. Sed vidēris, inquies nostram Bataviam designasse. Hoc etsi nominatim non feci, fateor tamen me non tantum ad extraneos, sed etiam ad domesticos doctores respexit. Hujus autem rei nimis manifesta documenta nobis præbet Academia vestra, inter vestrates enim Academicos reperiūtur, qui docent *ipsum fidei actum* rō credere imputari ad justitiam, id ġ, proprio sensu, non metonymicē. Et, Fidem per gratuitam acceptilationem Dei in Christo haberi pro omni legis justitia, quam nos præstare tenebamur. Et, nos habitu sive qualitate nobis inhærente iustificari. Et iustificationem esse universalem affectionem fidei. Hæc Academicorum vestrum doctrina nulla Scripturæ autoritate probari potest. Nusquam enim scriptum legimus, fidei actum, rō credere, non metonymicē, sed propriè acceptum ad justitiam imputari; aut, fidem per gratuitam acceptilationem haberi à Deo pro omni legis justitia, quam nos præstare tenebamur; aut, nos qualitate, hoc est, justitiā inhærente iustificari; aut, iustificationem esse universalem affectionem fidei. Ut autem hæc dogmata in Scriptura fundamentum non habent: ita etiam cum Scriptura & fidei analogia pugnant. Nam quod ad illa duo primo loco posita attinet, Dei judiciū est secundum veritatem, Rom. 2. vers. 2. Ergo non habet fidem propriè dictam, quæ imperfecta est, & multis peccatis contaminata, pro omni legis justitia, quam nos præstare tenebamur. Deinde justitia, quæ nos iustificamur, est fidei, Rom. 4. 14. est ex fide. Rom. 10. 6. est per fidem, Philip. 3. 9. Sed quod est fidei, quod est ex fide, quod est per fidem, id non est ipsa fides propriè dicta. Huc accedit nos obedientiā Christi justos constitui. Rō.

5. 19.

AD PIETATEM HUGONIS. 5

¶. 19. Sed obedientia à Christo pro nobis Deo præstata, non est fides nostra propriè dicta, & ob eam causam non fides propriè dicta, sed obedientia Christi habetur à Deo pro illa justitia, quâ nos justificamur. Hanc verò obedientiam Christi, quia fide accipimus, fide justificari dicimur. Fides igitur non habetur à Deo pro omni legis justitia; sed pro instrumento, quo justitiam Christi, quæ legis justitiæ æquipollat, vel etiam prævalet, recipimus. Addo, hanc doctrinam ab omnibus Ecclesiis Reformatis, quæ Augustanam, Gallicam, Helveticam, & Belgicam confessiones sequuntur, improbari. Hæ enim omnes unanimi consensu docent, fidem non propriè, sed metonymicè, sive relativè accipi, cùm nobis ad justitiam imputari dicitur. Quod ad tertium atinet, à Scriptura improbatum, hæc enim clarè & perspicuè docet, nos non justificari operibus nostris, Ephel. 2. 8. *Gratiâ estis servati per fidem, non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Rom. 4. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet quod glorietur, at non apud Deum.* 2. Tim. 1. 9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sanctâ, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratiâ.* Tit. 3. 8. *Non ex operibus justis, que fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos.* Rom. 11. 6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia: sin ex operibus, jam non ex gratia, alioquin opus jam non est opus.* Sed habitus & qualitas nobis inhærens (de quibus loquuntur Academicí vestri) vel sunt opera nostra, vel constant operibus nostris. Huc accedit omnes reformatas Ecclesiæ hanc opinionem improbare. Vnanimi enim consensu docent, nos non justificari habitu, sive qualitate nobis

A 3 inhæren-

RESPONSIO

inhærcente. Vide August.confess.art. 20.de Fide.confess.
Helvet. cap. 15. de vera fidelium justificatione. confess.
Genevens.& Confess.Belg.cap.22. Quod ad quartum
attinet , dico totum fundamentum salutis, nempe sa-
tisfactionem & intercessionem Christi ; totam denique
doctrinam de justificatione nostri funditus everti , si il-
lud, quod vestrates Academicci docent, recipitur. Vni-
versalis enim affectio inest omni subiecto, per se, & qua-
tenus ipsum : sed quod ita inest subiecto suo, hoc est to-
tum in illo subiecto , & extra illud non reperitur . ut,
Habere tres angulos æquales duobus rectis, est univer-
salis affectio trianguli ; atque hæc est tota in triangulo,
& extra triangulum non reperitur. Hæc est causa, quare
posito triangulo , ponatur æqualitas trium angulorum.
duobus rectis; & ablato, auferatur: Ita, si justificatio est
universale ~~των~~ fidei, necessariò sequitur, totum justifi-
ficare esse in fide , & extra fidem non reperiri. Hoc ita
esse ipsi Academicci astruunt, cùm dicunt, *posita fide, posita*
justificationem & ablatâ auferri. Nondum dispergo quam
verum, aut falsum hoc sit ; tantum ostendo quid inde se-
quatur. Sic enim colligo:

Vniversalis affectio est tota in suo subjecto, & extra il-
lud non reperitur.

Iustificare est universalis affectio fidei.

Ergo justificare est totum in fide, & extra fidem non
reperitur.

Major est per se vera. Minor est vestratum Academico-
rum; Conclusio igitur, Minore admissa, necessariò po-
nenda est. Sic igitur progredior:

Quod est totum in fide, & extra fidem non reperitur,
hoc

AD PIETATEM HUGONIS 7

hoc non est in justitia, obedientia, morte, sanguine,
aut sacrificio Christi.

Iustificare est totū in fide, & extra fidē non reperitur.

Ergo iustificare non est in justitia, obedientia, morte,
sanguine, aut sacrificio Christi.

Major est per se nota. Minor est conclusio Syllogismi
præcedentis. Verum si iustificare non est in justitia, obe-
dientia, morte, sanguine, aut sacrificio Christi; falsum est
quod Scriptura dicit, Philip 3. 9. *Vt inveniar in eo non
habens meam iustitiam, sed illam, quæ (ut Beza vertit) per
fidem est Christi;* falsum est, quod eadem dicit Rom. 5. 19.
Per unius obedientiam iusti coniuentur multi. Falsum est,
quod Spiritus sanctus dicit, Rom. 5. 9. *Nos iustificari ip-
sius sanguine.* Falsum est, quod idē dicit Rom. 5. 10. *Nos re-
conciliari Deo per mortem Filij ipsius.* Falsum denique est,
quod Apostolus dicit Heb. 10. 14. *Vnicā oblatione conse-
crari in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Vno verbo, fal-
sum est, quicquid Scriptura de satisfactione Iesu Christi
pro nobis factā, & de nostri iustificatione docet, si iustifi-
care est universalis affectio fidei. Nam quod hujus sub-
jecti, puta, *fidei universale* $\varpi\otimes$ est, hoc alterius subje-
cti, puta, *justitiae, obedientiae, mortis, sanguinis, aut sacrifício*
Christi universale $\varpi\otimes$ esse nequit. Omne enim univer-
sale $\varpi\otimes$ est totum in suo subjecto, & extra illud non
reperitur. Sed iustificare est universalis affectio fidei, ut
vestrares Academici docent. Ergo iustificare, alterius
subjecti, puta *justitiae, obedientiae, mortis, sanguinis aut*
sacrificii Christi affectio esse nequit. *Quid igitur? Quæ-
ris?* Ergo nec *justitia, nec obedientia, nec sanguis, nec*
mors, nec sacrificium Christi habet vim *justificandi, aut*
nos

RESPONSIO

nos justificare potest. Si non habet vim justificandi, neque nos justificare potest, ut inane commentum abjec-
endum est. Si hæc diligenter leges, non negabis, opinor,
esse, qui falsam doctrinam in Ecclesiis Belgicas introdu-
cere conentur, neque me propter hoc indicium jure re-
prehendere poteris.

Quæris, quinam illi sint, quos hoc facere dixi, & re-
pondes primum *illos qui Curatoribus Leidensibus suaserunt*,
ut Vorstium vocarent, deinde *ipso Curatores*, tandem *i-
psos Ordines à me designari*. Ego verò respondeo insignem
te mihi injuriam facere, qui ita verba mea interpreteris,
& istam mihi mentem affingas, quæ nunquam fuit mea.
Nec enim illos, quos tu dicis, Curatores scilicet Acad-
emæ, & gubernatores civitatis Leidensis, & illustres Hol-
landiæ Ordines designavi, aut in crimen vocavi. Nec tu
unquam probabis, me hoc de Curatoribus Academæ
vestræ, aut Consulibus Leidensibus, aut Ordinibus Hol-
landiæ scripsisse.

Priusquam ad probationem accedis, scrutaris quare
ego Ecclesiam Belgicam Londinensem, & Archiepisco-
pum elegerim, & illis meos libros dedicaverim? ad quod
nihil aliud respondeo, quam illud Comici, *Tanumne est
à re tua otij tibi, aliena ut cures, eaq; nihil quæ ad te aitineri?*

Reprehendis quod Archiepiscopo molestus fui, ut se
illis, quæ in collegio Ordinum Hollandiæ determinata
erant, fatigaret. Sed hoc ego ab illo nunquam petii.
Relege utramque prefationem, & vide an unum verbum
in iis reperire queas, quo hoc, quod tu dicis, ab eo con-
tendam.

*Addis antiquitus non liscuisse trans mare provocare, &
incuria.*

AD PIETATEM HUGONIS. 9

incurrisse in pœnam excommunicationis, qui ad transmarinos provocabant. Sed ego neque ad transmarinos provocavi, neque unquam in animo habui id facere. Hic non subsistis, sed ulterius progrederis, & scribis me hoc callidè fecisse, at hæc causa ibi cognosceretur, ubi acta non est. Sed erras toto cœlo, nunquam enim hoc facere volui, neque vel unicum verbum protuli, quo ostenderim me hoc agere, ut causa hæc in regno alieno, ubi acta non est, dijudicaretur. Relege utramque epistolam, & videbis me in altera ne meminisse quidem ejus causæ; in altera nihil aliud ab Archiepiscopo petiisse, quam ut nos suo consilio juvaret; ut & inter nos, & cum Augustanæ, Britannicæ, Gallicæ & Helveticæ confessionum Ecclesiis consensum retinere possimus.

Addis fabulam de Socinianismo invehendo in hasce provincias, ubi cura Ordinum in Orthodoxyia defendenda nota est, non tam facilè recipi posse: proinde quærendos fuisse, quibus nostri Magistratus non ita noti erant, & illos malis suspicionibus præoccupandos fuisse, ut nostri, si se purgare vellent, difficulter audirentur. Ego verò ex animo precor, ut fabulæ sint, quicquid de Socianismo conquerimur. Curatoribus & Ordinibus Hollandiæ nūquam ex Conradi causa invidiam constare volui. Lege utramque epistolam, & videbis me in altera non meminisse Conradi; in altera meminisse quidē, sed ita, ut nullum verbum scripserim, quo vel Curatores, vel Ordines Hollandiæ Archiepiscopo invisos redderem. His quasi præmissis, dicis te non velle Vorstij causam propugnare, neque legitimam ejus cognitioni præjudicare. Ridiculè. Didiceras in schola Rhetorum, cum auditoris animus, turpitudine

B. rei offen-

RESPONSIO

rei offensus est, ad insinuationem confugiendum esse, & Rhetorem dissimulatione & circuitione auditoris animū obscure subire, & in causa, cuius turpitudō offenditum contrahit, pro re, in qua offenditur, aliam quæ probatur, interponere debere, atque ita simulatè palamque jactare, se nolle de illa dicere; tamen occultè & obliquè illam rem quam maximè cōmendare. Sed hoc facis tam crassè, ut etiam illi, qui artis imperiti sunt, simulatque tuam inventivam legunt, imposturam videant. Tu scilicet nō defendes Vorstium? at verò ego neminem accusavi nisi Vorstium. Sed neque præjudicabis cognitioni de Vorstio institutæ: Attamen illa, quæ Vorstio objicimus, extenuas, & vocas fabulā de Sōrianismo, & intuper supra modum laudas Conradum, ejulque adversarios injustè flagellas, & multis calumnijs proscindis, neque tamen defendes Vorstium? Appositiè, Hæreses enim Conradi tam fœdæ sunt, ut eas sine Ecclesiæ detestatione defendere nequeas; singis igitur te nolle Conradum defendere. Deinde quia Belgæ sunt supra modum observantes suorum Magistratum, & eos detestantur qui Magistris suis obedire recusant; singis me convitiis incessere Magistratum, & contemnere dominatum, ut Conradum occultè & obliquè commendas & Sibrandum populo, summisque Magistratibus invisum reddas. Sed videamus quam pulchrè hanc fabulam saltes.

Primum dicis, non fuistis necesse, *ut negotium sati tranquillum toties exagitarem.* Hic statim se prodit tua pietas. Conradus suas hæreses spargit, & in bonorum virorum famam grassatur, neque tamen propterea abs te reprehenditur. Edidit suum *Prodromum*, ad quem, et si in eo

me

AD PIETATEM HUGONIS

me nominatim laceſſit, nihil respondi, Deinde edidit *pleniū rēſponſum*, ad quod, etſi erant in eo quādam, quā refutationem requiebat, filui tamen. Post hāc edidit *Orationem apologeticām*, in qua licet me nominatim multis mendaciis & calumniis gravat, tacui tamen, & putavi hominis proterviam patientiā vinci posse, sed lecus accidit. Nam quo ego pertinacius filui, eo ille petulantius in me sāviit, & tandem edidit ingentem *Catalogum errorum*, quos ſcilicet ex mea Declaratione collegit, atque in his eousque progreditur, ut doctrinam orthodoxam accuſet erroris, & blaſphemias Socini hārefes palam defendat, & me pene ſingulis paginis falsae doctrinæ accuſet. Hīc interrogo tuam conscientiam, an diutius silere potuerim, niſi ab omnibus pro desertore veritatis haberi voluerim? Hāc licet ita ſe habeant, tamen Sibrandum criminariſ, quod quater laceſſitus tandem ſemel responderit, & Conradum, qui tam ſepe publicis scriptis Sibrandum laceſſivit, ne nominas quidem. Qui hāc intelligit, videt te non fatis exercitatum eſſe in arte Rhetorica. Debemas enim hanc ineptam insinuationem eousque tegeare & occultare, ut in ipſo vestibulo dolus non appareret.

Scribis Sibrando bilem fuīſe motam antequam Vorſtius vocaretur: idq; propterea quod Ordines non permittebant, ut à ministerio removerentur, qui non volebant Sibradianam opinionem de Prædestinatione approbare. Doleo, mi Hugo, ob ingenium tuum, cui ſemper favi, toties me oportere detegere viro bono indignam calumniandi libidinem tuam. Etenim verè affirmare mihi licet, nemini me unquam ob doctrinam de prædestinatione moleſtum fuīſe, nec docuisse, aut fuasifſe ullo

B 2 tempore

RESPONSIO

tempore, ut quisquam propterea à ministerio removetur, multò minus molestè tuli, quod Ordines propter hanc opinionum de Prædestinatione discrepantiam, neminem à ministerio removeri abjicique patiūtur, neque hujus rei ullum signum dedi: Quin neque ex Remonstrantibus, neque ex Contraremonstrantibus quisquam est, qui cùm ante illud tempus vel unum verbum ob doctrinam de Prædestinatione commutaverim. Amicis semper suasi, ut cautè, modestè, & tanto mysterio congruerent de hac doctrina loquerentur; ipse ab odiosis & non necessariis quæstionibus semper abstinui, quoties hoc mysterium tractavi; & auditoribus meis author sum, ut idem faciant; semper moneo, ut ab ineptis illis consequentiis abstineant, quibus providentia Dei detrahitur, & libero arbitrio plus quàm par est, tribuitur; & etiam ab istis, quibus Deus peccati insimulatur; & ut uno verbo dicam, nemini per totam vitam ob hoc dogma (Socinum excipio) litem movi, & tu tamen non erubescis scribere, mihi ob dogma de Prædestinatione, etiam antequam Vorstius in Hollandiam vocaretur, billem motam fuisse?

Addis insuper mihi etiam ante vocatum Vorstium billem motam fuisse in illos, qui Conradi vocationem suaserant, idque propterea quod Magistratui ius suum in gubernanda Ecclesia affererent. Sed hoc est paris calumniæ cum priore, aut etiam putidioris. Ius enim quod Magistratus, in rebus Ecclesiasticis habet, libris scriptis diligenter afferui ante multos annos. Libri nostri de hac re existant, & tuam criminationem luculenter refutant.

Hic nō subsistit Hugōis pietas, sed addit hos illos esse, quos Sibrandus

Sibrādus multiō anē perjuros, calumniatores, culios adulatores, novos nostri seculis Eusebios in epistola Socini libro praefixa appellavit. At verò in tota illa epistola ne unum quidem verbū exstat, ex quo hoc probari possit: Imo ne quidem verba ipsa, quæ tu citas, & alijs litteris ut εμφατικῶς sonarent, imprimi curasti, in illa epistola reperiuntur. Memini quidem Eusebij, sed istius qui Constantini ætate Episcopum egit Nicomediæ; nostri seculi Eusebiorum totâ epistolâ non memini.

Addis hanc esse causam, ob quam jam tum Sibrandus Hollandia rectores designavit authores scelerum, ingenij petulantis, perturbatores orbis terrarum, populi concitatores, qui omnia seditionibus miscent, Epicureos etiam & Libertinos, latentes sub Politicorum nomine, qui ultrò faciant alant. Ecclesia dissidia, & in ijs se suaviter oblectent, religionem denique ipsam ut fabulam & vulgi triculamenta derideant. Ego verò hoc non dixi. Tu Christiane Lector, lege totam meā epistolam, & de HUGONIS PIETATE sine errore judicare poteris. Tantum enim abest, ut hos vel illos præter cæteros designare voluerim, ut in animo haberim ostendere, quānam ab initio usque ad hæc tempora fuerit Ecclesiæ miseria, & cum quibus monstris illa semper fuerit conflictata. Hoc ita esse inde constat, quod thesin propositam probaverim exemplo Achab 1. Regū 18.17. Sacerdotum qui tempore Ieremiæ fuerunt. Ierem. 26.11. Atheniensium Act. 17.16. Iudæorum, qui Christum occiderunt. Ioh. 7.12 Luc. 23.5. Thessalonicensium Act. 17.6. Eusebij Nicomediensis. Theodoret. cap. 19. & 20. Hoc modo ego perpetuam Ecclesiæ miseriam, quā tempore Regum Israëlis & Iudæ, tempore Christi & Apostolorum,

stolorum, tempore denique Regum Christianorum ex-
ercita est, deploravi; Ordinum verò sive Rectorum
Hollandiæ totâ epistolâ ne memini quidē, & non erubef-
cis scribere me Ordines Hollandiæ, quos ne quidem no-
minavi, his querelis designasse? Ego horum criminum
sum innocens, & spero Ordines Hollandiæ meam inno-
centiâ ex hac Apologia perspecturos, & si tua maledicen-
tiâ commoti aliquod odium in me cōceperunt, id ipsum
hac meâ innocentia perspectâ deposituros esse.

Nunc ad ipsam vocationem accedis, & dicis Conra-
dum fuisse professorem Theologiae in Schola Steinfordensi, ipsis
Comitibus, Senatus scholastico, Ecclesiastico, & Urbano gra-
tam acceptum q[ui] quemadmodum putes ex ipsorum testimonij,
quod quorsum dicas non video. Scimus enim Conra-
dum à seniore Comite missum esse Heidelbergam, ut se
Theologis Heidelbergensibus de falsa doctrina purga-
ret. Scimus item Comites Benthemiae post ipsius abi-
tum, solennem visitationē instituisse; ut hæresibus, quas
Conradus in ipsorum ditionibus sparsit, obviam irent.
Hoc factum ostendit, Comites Benthemiae eum nun-
quam ornaturos fuisse istis testimoniis, si antequam illine-
discederet, scivissent, eum tam foedas hæreses in Comi-
tatibus istis seminasse. Si hæc tibi non satisfaciunt, con-
fer hæc Steenfordiensia testimonia cum ipsius libro de
Deo, in quo scribit *Essentia infinitatem inter ea, quae sim-
pliciter adiutoria sunt, referri debere.* cum Antibellarmino,
in quo docet *Fidem sc. propriè dictam esse integrum &
perfectum nostram justitiam.* Cum libro Steenfordensi,
in quo scribit *Iesum adeptum esse divinam adoptionem.* Et,
Deum nullam aliam ob causam curasse, ut Iesus revivericeret,
quam

quam ut ea omnia confirmaretur, qua ipsius nomine Dominus Iesus dixerat. Et cum ipsius confessione, in qua scribit Deum nobis peccata remittere non acepia pro ijs plena satisfactione, & doce nos candidè atque sincerè, quid Ecclesiæ Belgicæ de illis testimoniiis, quibus Steenfordienses testantur Conradum in doctrina orthodoxum esse, tentare debeant? Aut enim tibi dicendum est, illos homines deceptos esse, & non scivisse Conradum tam hæretica scripsisse ac docuisse, atque ita in testimonio dicendo errasse; aut judicasse has blasphemias hæreses esse orthodoxam, & voluisse suis testimoniiis Ecclesiam decipere. Elige quod voles.

Addis, doctissimos Belgarum cum eo amicitiam coluisse, per epistolas cum eo contulisse, eumque de rebus difficultibus consuluisse. Sed qui istarum rerum periti sunt, ijs hoc novum non est. Conradus enim docebat, fidem esse illam inherentem justitiam, quam urgent Papistæ, & hac nos justificari contendebat. Academici vestrates docebant nos habitu sive qualitate inherentem justificari. Conradus docebat fidem esse integrum & perfectam nostram justitiam. Vestrates Academici docebant, fidem haberi à Deo pro perfecta legis justitia. Et, justificationem esse universam fiduci affectionem. Conradus docebat fidem quatenus viva & per charitatem efficax est, ad justitiam imputari. Vestrates Academici docebant fidei actum rō creare, non metonymicè, sed propriè acceptum ad justitiam imputari. Tam pulchre sibi mutuas operas tradebant in hoc salutis nostræ fundamento evertendo, & miraris illos inter se amicitiam familiaritatemque coluisse?

Etiam libri quos contra Iesuitas edebat, illi apud nos tres magnam

magnam laudem pariebant. Credo. Dum enim Iesuitas oppugnabat, Socinianismum callidè instillabat, quod ex supra allegatis verum esse constat. Idem faciebant Academici vestrates, & miraris illos Conradi libros ad cœlum suis laudibus evexisse? Annon aliquando accidit, ut mulus mulum scabat, quemadmodum est in proverbio?

Sed & Landgravius Hassiae, cuius & pietatem & eruditissimum nemo fatus laudaverit, desideravit, ut Conradus suā præsentia Marburgensem Academiam ornaret. Scilicet cùm ipsius hæreses adhuc laterent: postquam autem illæ directæ sunt, illustrissimus Princeps eum ad docendā Theologiam nonquam vocabit in Hassiam. *Ipsius Antibellarum: num multi laudabant,* nempe qui vel non intelligebant eum, vel qui unà cum illo inveniebat Socinianismo laborabant: cœteri longè aliter judicabant. *Hunc librum dedicabat Ordinibus Generalibus,* eosq; hortatur ad moderationem, hoc est, ut ferant discrepantes sententias in rebus adiaphoris, & ad fundamentum salutis non necessariò pertinentibus. Rectè, ut hoc prætextu quælibet exitiales hæreses in Ecclesia Reformata tolerentur. Ore enim, & voce clamat de rebus adiaphoris, & ad fundamentum salutis non necessariò pertinentibus: reipsâ autem doctrinam de Deo, de persona & officio Christi, de satisfactione Christi pro nobis præsita, de fide justificante, & justificazione nostri gravissimè oppugnat, quemadmodum in progressu patebit. Hoc consilium, inquis, conciliabat Conrado gratiam apud Ordines Generales, præsertim quia Elector Palatinus id ipsum paulò ante fuaserat. Nihil minus. Nam & nos suademus, ut nos mutuo feramus in rebus adiaphoris, & ad fundamentum salutis non necessario-

fa: iò pertinentibus : & tamen sumus Hugoni invisi ; An non igitur quis jure dicere possit Hic aliud dici, & aliud cogitari? ut taceam serenissimo Principi Electori fieri injuriam, dum eius consilium confertur cum consilio Cōradi. Princeps enim Elector doctrinam de Deo , de persona & officio Christi , de fide justificante & nostri justificatione nunquam vocavit in dubiū, multò minus scriptis libris oppugnavit. Has putas esse causas , quare aliqui pastores Conradum Curatoribus commendārint, & quare ijdem excusari possint , quod in medio relinquo. Hi enim prætextus hominem fluctuantem ad id movere possunt; virum verò prudentem & rerum theologicarum peritū ad id permovere non possunt. ab altera enim parte sunt longè firmiores rationes, quæ prorsus non patiūtur, ut quis hoc Curatoribus suadeat. Sit enim hēc quæstio. Bonamné an fœdam rem fecerint, qui Conradum Curatoribus commendārunt? Tu dicis illos justis , vel saltem probabilibus causis motos fuisse, ut hoc facerent, & excusari posse. Ego verò dico illos rem fœdam admisisse; præfertim si libros ab ipso, antequam vocaretur, editos legerunt; addo illos nullo modo excusari posse. Tuas rationes, quibus illorum factum excusare conatus es, audivimus: audi tu vicissim & nostras.

Conradus antequam in Hollandiam vocaretur, edidit librum de Deo, in hoc libro oppugnat infinitatem & immensitatem Dei, & multa alia abominanda profert. Idem Steinfordij edidit impium & blasphemum librum Socii- ni de Sacrae Scripturæ authoritate, eumque ut per se utillem & necessarium lectori commendavit. Hunc librum ab ipso Steinfordij editū clarissimus vir Petrus Plancius

C mihi

RESPONSIO

mihi Amsterodami legendum dedit, priusquam illi professio Leidensis demandata esset; atque ibi ego eum cum exemplo Hispalensi contruli, & annotavi, quænam in illo à Conrado addita & mutata essent. In hoc libro scriptum edidit. pag. 57. Iesum Christum adeptum esse divinam adeptionem. 58. Iesum Nazarenum in oculis omnibus, eadem via virtutis & sanctitatis incessisse, quam alijs monstravit. 75. illum solum esse verum Deum, quem Christi interfecentes coluerunt. 76. Iesum ante resurrectionem fuisse mortalem doctorem & post eam principem cœlestem, & regem perpetuū populo à Deo datum esse. 83. Deum nullam aliam ob causam curasse, ut Iesus revivisceret, quam ut ea omnia confirmarentur, quæ Dominus Iesus eius nomine dixerat.

Hunc librū Socinistæ deinde Raccoviæ præfixo nomine Socini ediderunt, & in præfatione testati sunt, eum esse tacitam σταύρων ad divinam veritatem, quam ipsorum cœtus profitentur: h. e., ad impium & blasphemum Socinistum: neque dubium est, quin Conradus hunc librū in vicina Westfalia imprimi curaverit, ut esset ad eandem veritatem divinam in nostras Ecclesias introducendam tacita σταύρων.

Sed dices, Conradum præfixisse huic libro præfationem, in qua hanc suspicionem à se removit. Nihil minus; ad quædam enim proorsus non respondet, ad quædam respōdet quidem, sed tam frigidè, ut Socini hæreses magis defendere, quam refellere videatur, quod ut videoas, brevem hujus epistolæ ἀνάλυσιν tuis oculis subjiciam.

Principiò librum admodum cōmendat, & jactat se fuisse typographo auctiōrem editionis novae adornanda: quo libellus tam utilis ac penè necessarius ad ampliorem Christi regni promotionem

motionem inter Christianos magis ac magis innotesceret.

Addit, illum qui novit omnia, novisse hunc scopum sibi propositum fuisse. Rectè. Nullus enim dubito, quin ipse Socinus juraverit, se propter eundem scopum hunc librum conscripsisse. Addit, superiore anno, cum ejus aliquot pagelle in lucem emissæ, & ab eorum nonnullis, qui omnia Cœradistica suspecta habent, obiter perfecta essent, continuo famam sparsam esse, librum ab homine heretico conscriptum, & multo Samosatenicos errores in eum comportatos esse. Hic nota, libri editionem esse hujus epistolæ editione antiquiore, atque hoc ita esse inde constat, quod Plancius illum mihi Amsterodami legendum dederit, priusquam Conradus in Hollandia Professor constitutus esset; & narraverit typographum Steenfurdensem ante illud tempus venisse Amsterodamum, ut pagellas quas Plancius habebat, ab ipso repeteret, quod mali animi & pessimæ technæ signum est. Quare enim typographus ad repetendas hæc paginas ex Westfalia in Hollandiam proficeretur, si liber ad ampliorem Christi regni promotionem tam utilis & tam necessarius esset, atq; Conradus gloriatur? Post hæc tergiversatur confiteri Socinum esse hujus libri authorem. At verò de authore jam constat. Raccoviae enim nomine Socini editus est: hoc igitur admisso, admittit eum esse vel Socini, vel similis cuiusdam. Sed dicit nobis cum hæreticis multa esse communia. Quid audio? An quia nobis cum Hæreticis quædam sunt communia, viro & orthodoxo, & Theologiæ doctori licitum est, librum in quo fundamentum Christianæ religionis convellitur, & qui ipsorum hæreticorum confessione est tacita etayayn ad illam veritatē, quam ipsorum cœtus prætentur?

C. 2. fitentur,

RESPONSIO

fitentur, hoc est, ad illorum hæreses longè lateque spar-gendas, multis additamentis augere, commentariolis il-lustrare, typis excudendum dare, & incautis juvenibus vehementissimè commendare?

Authore misso, ad ipsos errores excusandos vel defen-dendos accedit, sed primum, tertium & quartum defen-dit; secundum præterit: circa quintum tergiversatur, & videtur ambigere, quid sequi, aut quid fugere velit; mag-is tamen inclinat in authoris sententiam. Sed scio quid sit. Animi Hollandorum nondum satis præparati sunt ad has blasphemias hæreses recipiendas. Cogitur igitur se adhuc inter Socinisticam xp̄ūt̄v continere.

In Antibellarmino scribit fol. 606. *Fidem esse integrām & perfectām nostrām justitiām. Et, ipsam fidem quatenus vivas, & per charitatem formata est, nobis ad justitiām im-pusari.* Et fol. 613. *Fides est justitia illa inhārens, quam ad-versarij semper urgent.*

Hanc eandem doctrinam vestrī Academici privatim & publicē inculcant, ut antè ostensum est. Nupera Del-phensis collatio ostendit esse plures in Batavia, qui hoc venenum hauserunt. de his enim & similibns fidei arti-culis interrogati, respondere renuerunt.

Ad illa quæ suprà dixi, addo, orthodoxos Doctores planè contrarium docere, & ut de Calvinō & Beza, quos videris odiisse, nihil dicam. Philippus in examine & locis, docet hanc propositionem, *Fide sumus justi*, relativè accipi. Chemnitius in examine concilij Tridentini de fide justificante. *Quod fides justificat illam vim non habet, quia per charitatem efficax est, sed quia Christam appre-hendit.* Musculus in locis, de justificatione, *Iustificat fides non quatenus*

quatenus efficax est per dilectionem, sed quatenus misericordiam Dei & absolutionem à peccatis, & condemnatione apprehendit. Perkinfius Catholic Reformato cont. 4. obit. 8. de justificatione. Fides considerari potest dupliciter, aut ut qualitas, virtus, opusque quoddam; aut ut instrumentum vel manus, que ex tanta merita Christi apprehendit. Dicimus igitur fidei justificati, non quatenus ea opus virtus aut qualitas quædam est; sed quatenus instrumentum est, quo recipimus & applicamus nobis id quod justificat. Quare loquendi formula figurata est, Iustificamur fide. Fides enim in se considerata neminem reddit iustum, ut nec ipse aeternus fidei, cuius proprium est Christum apprehendere: sed justificat nos obiectum fidei, que est obedientia Christi fidei apprehensa. E Scriptura igitur & Doctoribus Reformatarum Ecclesiarum hanc opinionem non hausit. Vnde igitur eam hausit? Ex Serveto, Socino & Osterodo. Servetus enim docet. Abraham iustum fuisse propter unum fidei actum. Testis Calvinus contra Servetum fol. 903. Socinus de Christo Servatore scribit. Deo fidere semper hominem iustum reddidit. Et fol. 398. Fides per se nos justificat. Et fol. 331. Cum fides nostra ad justitiam imputatur, sensus est Fidem pro justitia haberi. Osterodus contra Tradelen, fol. 251. Es ist noe-tlich das auch etwas in uns gesunden u erde / daerom uns Gott selich macht nemlich der glaube in Christum Necessum est ut aliquid in nobis inveniatur, propter quod Deus nos salvo faciat, nempe fides in Christum. Hos esse suæ opinionis magistros nondum agnoscit Conradus. Sed Academic vestratus sunt illo generosiores; non obscurè enim contentur se eam à Socino accepisse. Verba illorum hæc sunt. *Quid Lutherum impulerit ut vulgatam sententiam*

C 3 desereret?

RESPONSIΟ

desereret? Quid ut istam conciperet, quam (nota) tamen nullus Scripturæ locus aperiè insinuat? Qui occasione id factum? quibus gradibus & momentis? quo pondere rationum? Cur ipsius cogitationes in eam partem devolutæ nō sunt, que alterā thesēos parte à nobis ponitur? & quid si fuissent devolutæ? quid ex eo fuisset secutum incommodum? cum ea non minus pontificiorum merita subvertat, atque ea quam ipse statuit. Nam tunc quidam infame Socini nomen nondum auditum fuit. Sed quicquid de authore sit, hoc dogma doctrinam de gratitudo justificatione, de merito & satisfactione Christi prorsus evertit, quemadmodum ante ostensum est. Hæc est causa, quare Socinus & Oosterodus negant Christum pro nobis satisfecisse. Hæc eadem causa est, quare Conradus dicat, *Deum pænitentibus & se ad ipsum convertentibus omnia peccata condonare, non acceptâ pro ipsis plenâ satisfactione.* Confessione, pag. 3. Thesi. 2. Peto ut hæc expēdas, Hugo, & judices, benē an malē fecerint, qui Curatoribus suaserunt, ut hominem tam multarum hæresium manifestum ad dōcendam Theologiam vocarent. Nam ut rem bene intelligas, non accuso Curatores, neque accuso Consules Leidenses. Hos enim credo non velle suam juventutem, quæ post paucos annos Ecclesiam & Rēpublicam Hollandiæ gubernatura est, tā multis exitialibus hæresibus inquinari: sed accuso illos, qui Consulibus & Curatoribus suaserunt, ut hunc hominem vocarent. Dicis, authorem consilij fuisse admodū contristat, cum hec primū in innotesceret; & ob eam causam scripsisse Conrado, ut si harum hæresium sibi conscientia esset, potius vocationem Curatoribus renūciare, quam multarum turbarum, quæ eam secuturæ essent, author existeret. Sed ille, quisquis

quisquis est, non debuit sibi soli tantum tribuere. Quia enim hæc res ad omnes Ecclesias totius Hollandiæ pertinebat, rectius fecisset, si consilium cum omnibus Ecclesijs totius Hollandiæ communicasset, & ex omnium, vel plurium sententia cuni Conrado egisset. Deinde non debuit unius hominis conscientiæ contrarium affirmanti præsertim cum in ipsius Conradi Libri tam manifestæ extarent probationes, & literæ discipulorum ipsius actione Heidelbergensis docerent, hujus hæreseos mystas aliud loqui, & aliud sentire) tatum tribuere, ut ejus solius declarationi plus fidei adhiberet, quam multorum bonorum virorum, & de Ecclesia quam optimè meritorum testimonio. Facile enim judicare poterat, ei qui satagit Ecclesiam tam multis & foedis hærcibus turbare, non fore grave simulare.

Post hæc, in me invehiris, Hugo, quasi *egre feram illam auditum esse, & Ordines criminis*, quod eum audiverunt. Hoc est gravissimum ex illis, quæ mihi objicis. Debet igitur à me diligenter explicari, ut constet, justè an injustè me accuses?

Principio dixi *illos qui hoc vocandi jus habent, potuisse initio excusari*. Idem adhuc dico. quotus enim quisque est ex politicis, qui omnes suas curas ad Remp. confert, & hæc mysteria Christianæ religionis ita scrutatur, ut legat quid quilibet particularis doctor de hac vel illa controversiâ scribat? Addo, *me non videre quid pretendere possint, postquam à tam multiis doctoribus & fidis Christi ministris, totisque adeò provincijs socijs, ac denique ab ipso magno Regem moniti sunt, postquam item hæreses ipsius à diversis Theologis, viris eruditissimis, & ab Ecclesiarum pastoribus, ac ab ipso*

ipso denique Rege palam traducta, atque in lucem protracta,
omniumque hominum oculis exposita fuerunt. His verbis ego
Curatores neque accuso, neque excuso, tantum dico me
non videre, quid post tam multas admonitiones & hæ-
resium Conradi detectiones prætendere queant? Addo.
Debebant quippe tam multorum doctorum, tam florentium Ec-
clesiarum, tam potentis denique Regis autoritatem judicium-
gum unius heretici, ejusque non admodum docti judicio autho-
ritatis præferre. Idem adhuc dico. Quin audi, Hugo, Si
illud decus totius Christiani orbis Theodorus Beza vi-
veret, Curatoresque eum ad professionem vocarent, &
Magnus Rex propter aliquam causam ipsius vocationi
intercederet; existimârim ego hujus Regis autoritatem
propter innumera beneficia, quæ foederatis provinciis
præstítit, & posthac præstare potest, tantum apud Cura-
tores valere debere, ut contra Regis voluntatem in vo-
cando Beza non persisterent, sed Bezam in Gallia relin-
querent, & Magnum Regem propter illum non offendere-
rent; neque si ipse Beza viveret, aliter judicaret; neque
dubito quin illi qui sanè judicant, hoc meum judicium
probaturi sint. Quantò magis igitur iste tam multarum
hæresium manifestus monente Rege repudiandus erat.
His positis, accedo ad illa diluenda, quæ nobis ante il-
lam actionem occinebantur, & adhuc oceinuntur. Pri-
marium est, neminem condamnari posse nisi auditum. Hoc
prætendebatur, sed intempestivè. Ecclesiæ enim Belg-
icæ non petebant, ut Ordines Conradum condemnarèt.
Fatemur omnes, neminem nisi auditum condemnari
posse; sed addimus, non petuisse Ecclesias Belgicas, ut
Ordines Conradum condemnarent. Vides igitur hanc
regulam.

regulam. Iudicium non est justum, in quo qui auditus non est, condemnatur. Et nam lex nostra condemnat quempiam, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat? intempestivè allegari. Quid igitur, inquis, petierūt? Ut tam multarum hæresium doctorem Ecclesijs invitis per autoritatem publicam non obtruderent. Hæc petitio erat æqua. Nam cùm Conradus se palam venditaret pro orthodoxo, & deinde compiperiretur illum tam multis hæreses sub specie orthodoxias occultè seminare, atque ita Curatores decipere; ne mo illos reprehendere potuisset, si hominem publicæ quietis conservandæ causa non admisissent. Deinde nihil erat commodius ad Ecclesijs, quæ justâ de causâ offendæ erant, tranquillandas, quam hæreticum non admittere. Hoc Curatores in malam partem accipere non possunt; nisi velint fateri sibi hæreses Conradi, priusquam illum vocarent, fuisse probè cognitas, & se datâ operâ voluisse hominem hæreticum in Academiam Leidensem introducere. Hactenus non putto quicquam à me scriptum esse, quod vel ipse Momus mordeat. At, inquires, omnis dimissio est pœna: puniri autem nemo debet nisi auditus. Ergo neque dimitti, nisi prius audiatur. Quid audio? Estne omnis dimissio pœna? atqui pragmatici distinguunt inter dimissionem voluntariam, honestam & ignominiosam. Num & voluntaria, aut honesta dimissio pœna est? Deinde sæpe accedit, ut nobilis pedissequum, Dominus servum, Paterfamilias famulum, Imperator militem, Rex consiliarium, hospes hospitem, princeps ministrum nullâ præeunte auditione dimitat. Sustinebisne dicere omnes pedissequos, servos, famulos, milites, consiliarios, hospites, ministros

D nistros

nistros condemnari & puniri quoties dimituntur? aut audebisne dicere illos omnes in justè agere, & legem iustitiae violare, qui non praeunte auditione, aut redditâ ratione suos famulos, pedissequos, servos, milites, consiliarios, hospites, & ministros dimitunt? Nemo, opinor, hoc dicturus est. Ipse Conradus hoc meum consilium initio non improbabat, pro eo enim mihi publicè gratias egit. Ejus verba hæc sunt. *Gratias ipsi Sibrando ago pro qualicunque illâ moderatione, quod fidem non cogi, sed suaderi debere iudicat, quodque mihi licet opinione suâ hæretico nescitam admendam, nec necessaria vita subsidia planè detrahenda esse existimet. Iudicia hæc sunt animi aliquatenus moderati, & sic satis mansueti, saltem à tyrannide & crudelitate non nihil alieni.* Affectum hunc Deus ipsi confirmet, imo magis adaugeat. Ex his apparet ipsum Conradum tum judicasse, non male secum actum fuisse, si Ordines hoc cum consilium seuti fuissent. Eventus, qui quorundam magister est, docet hoc consilium non fuisse rejiciendum. Cum nihil amplius haberet, quod in me diceret, mandas ut catabaptistas, qui negant. 1. infantes baptizandos esse. 2. Christum assumpsisse carnem ex Maria Virgine. 3. Christiano nō licere Magistratum gerere, prius expellâ ex Frisia, & deinde ad illos veniam, qui hæreses sibi objectas non agnoscunt, hoc est, ut deinde expellam Conradum. Sed scire debes hęc verba vix sapere sobrium hominem. Nam non gero Magistratum in Frisia; deinde nulla est in exemplis similitudo. Catabaptistæ enim sunt ingens multitudo. Conradus verò est homo singularis. Deinde etsi non possum exactè dicere, quid omnes & singuli Catabaptistæ in Frisia sentiant; possum tamen affirmare

affirmare me quosdam nosse, qui non tantum confitentur Christum de Maria Virgine carnem assumpsisse, sed etiam de officio & persona Christi recte sentiunt, & loquuntur. Novi etiam aliquos, qui docent, Christiano licitum esse Magistratum gerere. Huc accedit, me longâ experientiâ didicisse, multos illorum non malitiâ, aut vafricie, sed ex mera simplicitate, aut ex imperitia errare, quod de Conrado non facile dixeris: palam enim justat se esse orthodoxum, & orthodoxam doctrinam vafrè oppugnat. Publicè præ se fert se Reformatæ religioni congruenter docere, & occultè hæreticos tractatus de *Filiatione*, de *Satisfactione*, de *septimo capite ad Romanos*, &c. ex hæreticorum libris confarcinat, eosque suis discipulis instillat, & per illos longè lateque disseminat. Ut ut sit, non facile persuaderis viro, qui non prorsus stolidus est, ut ingentem aliquam multitudinem, cuius maxima pars ex simplicitate & imperitia errat, exterminet, aut ad eam exterminandam consilium conferat. Huc accedit, catabaptistas qui sunt in Frisia, non satagere, ut in Ecclesia scholaque nostra doctores constituant, neque lacecessere nos scriptis suis, sed vivere quietè. quod si hoc aut illud facerent, cogeremur illorum conatibus intercedere. Faciat idem Conradus, non satagat in Ecclesiis scholisque reformatis pastorem aut doctorem agere, neque lacecessat suis scriptis orthodoxos, sed vivat quietè, & relinquemus eum Dei judicio.

Post hæc exagitas, quod Magno Regi gratias egi pro illa heroica, & plusquam regia censura, & quod scripsi Belgicas Ecclesias illâ eretas esse, idque apparuisse, cum Regis filia ad novum maritum in Germaniam proficiuntur.

D 2 tur.

tur. Ac primum dicis, me fuisse nimis restrictum in Regis beneficiis, quae his Provinciis praestitit, recensendis: sed scire debes, mihi non fuisse propositum Regum Britanniae historiam scribere. Addis hoc esse admodum tenui, si cum aliis Regis factis comparetur. Hoc quid sit, aliorum judicium esto. Interea certum est, Ecclesiæ Belgicas longo tempore non fuisse magis consternatas, quam cum Conradus Leidam vocaretur. Adhuc in recenti memoria sunt gemitus Ecclesiarum, & bonorum virorum suspiria. Omnes Ecclesiæ, quæ sunt in Germania, Gallia, & Britannia stupebant, Ecclesiæ Belgicæ suum casum miserabantur. Vicini Principes videbant periculum, quod Ecclesiis Belgicis imminebat, sed nemo manum admovebat. Sociæ Provinciæ dabant quidem sana consilia, sed non audiebantur. Tandem Rex heroico & prorsus regio animo monebat Ordines Generales de periculo, & paulò post illam nunquam satis laudatam censurā edebat, quo facto Ecclesiæ Belgicas recreabat, efficiebatque ut in posterum benè sperarent. Omnes Ecclesiæ, omnes pastores, omnes qui orthodoxā religionem profitentur, & presentem Reip. statum amant, hoc Regis factum ad cœlum suis laudibus ferebant; neque quisquam existit, qui aliquem propter hoc de Regis censura judicium reprehenderit. Tu solus, Hugo, Sibrandum propterea reprehendis, & tamen negas, te Conradum defendere, aut cognitioni de ipsius causa institutæ præjudicare velle!

Quæris, quare non meminerim alterius consilij, quo idem Rex suadet, ut Magistratus publicâ authoritate efficiat, ut Remonstrantes & Contraremonstrantes se mutuo ferant

rant in illis quinque articulis Batavici? At jam ante dixi,
mibi non esse constitutum Regum Britaniae historiam scribere.
Deinde in posterioribus Regis litteris, quas vos tam cu-
pidè in vulgus sparsistis, neque istorum quinque articu-
lorum, neque Remonstrantium, neque Contraremon-
strantium ulla mentio fit. Tantum enim monet Rex, ut
subtiles illæ & sublimes disputationes de prædestinatio-
ne non producantur ad populum in suggestum. Huc
accedit, binas illas litteras non versari circa idem subje-
ctum. Illæ enim continent causam Conradi, ejusque hæ-
reses in lucem proferunt, & simul monent Ordines Ge-
nerales, ut tam multarum hæresium doctorem à profes-
sione arceant: Hæ verò Conradi causam non attingunt.
Ulterius igitur trahis Regis litteras, quam Rex ipse ve-
lit, & facis optimo Regi injuriam, dum oblique persuad-
ere conaris, Regem velle, ut illa toleremus, quæ ipse
summo jure detestatur. Ego modo professus sum, me
contra posteriores Regis litteras nihil unquam fecisse,
addo, me daturum esse operam, ut contra illas nihil cō-
mittam. Tu idem facito, obtempera priori Regis con-
silio, fac ut arceatur manifestarius hæreticus à professio-
ne, & quod Rex unicè petit, da operam, ut dimittatur,
efficeque ut prorsus quiescat, neque suas hæreses scri-
bendo propaget, neque doctores pastorelque orthodo-
xos, qui libenter quiescere, & tranquillè vivere cupiunt,
lacessat, inquietetvē. Si hoc reipsâ præstiteris, efficies
ut credamus te Regis consilium sequi velle; si facere re-
cusaveris, ostendes te aliud loqui, & aliud cogitare. Di-
cam plenius. Ego ut contra posteriores Regis litteras,
nunquam quidquam feci: ita dabo operam, ut post hac

D 3 contra

contra illas nihil committam. Tu idem facito, obtempera optimo Regum in priori consilio, labora pro virili, ut homines hæretici à professionibus publicis arceantur. Effice, ut non doceatur in Academia vestra, ipsum fidei argumentum rō credere, non metonymicè, sed propriè acceptum impetrari pro justitia. aut, nos qualitate nobis inharente justificari, aut, fidem per gratuitam acceptationem haberi à Deo pro omni justitia, quam nos præstare tenebamur, aut, justificari esse universalem affectionem fidei. aut Apostasiam esse propriam affectionem sanctorum. Hæc enim non sunt dogmata, sed monstra, omnibus Reformatis Ecclesiis scholisq; haec tenus incognita & inaudita. Tollunt enim fundamentale articulum de nostri justificatione. Hoc posteriorius etiam omnium Sanctorum salutem prorsus evertit. Propria enim affectio ex subjecti essentia fluit, & necessario nexus cum subjecto juncta est. Hoc ipsum est, quod in Scholis vocant *proprium quartο modo*, & definitur uni, omni, soli & semper inesse. Si igitur Apostasia est propria affectio Sæctorū, omnes Sæcti & soli & semper sunt apostatae. Hæc monstra non sunt *fabula de Socinismo*, sed sunt ipsius diaboli, & fortasse ultima excrementa, quæ his postremis temporibus per sua organa egerit, ut *florissantis Belgicas Ecclesias per illa dissipet, aur fiducias evertat.* Effectū igitur da apud Ordines & Curatores Academicos, ut hæc monstra in Academia vestra publicè non doceantur, & reipsa ostendes te ex animo cupere potentissimi & prudentissimi regis consilium sequi: si hoc facere recusas, omnibus notū facies, tibi aliud esse in ore, & aliud in corde. Quin ostendes te hanc PIETATEM in lucem protulisse, ut illos qui legitimo magistratui omnē debitam

tam

tam reverentiam præstant, aliosque docent, ut idem faciant, & simul patefaciunt has hæreses, Ecclesiamque monent, ut fibi ab his caveant, per calumniam differas, & legitimis pijsque magistratibus invisos & exosos reddas. Desinamus igitur harum vernilium rhetoricationum, & magno Regi in utroque consilio obtemperemus. Necesse est ut ita fiat, si Ecclesiæ Belgicæ rursus coalescere debent. Quid enim attinet de prædestinatione quædam reticere; & tam graves contentiones ob doctrinā de Deo, de persona & officio Christi, de satisfactione pro nobis à Christo præstata, de nostri iustificatione & fiaue iustificante, de salute sanctorum, &c. quotidie sustinere?

Quam ob causam cum Cōtraremonstrantes Delphis peterent, ut Remonstrantes se se in his & similibus declararent, non debuerunt aut hi confessionem subterfugere, aut isti, qui de hac quæstione postea cognoscebant, illorum tergiversationi patrocinari. Apostolus enim mandat, 1. Pet. 3. 15. ut simus semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei, quæ in nobis est, Deinde discipuli Conradi docebant, non ulterius progrediendum esse apud vulgus, quam de quinque articulis vulgo notis. Et quod maximum est, Academici vestri & nonnulli pastores cœperunt hæc monstra publicis scriptis assurerere & propugnare. Si igitur tranquillitas Ecclesiæ tibi cordi est, effice ut hæc monstra ex Ecclesijs Academique Batavica exterminentur. Facilius enim Ecclesiæ coalescent, si hoc malum sublatum viderint, neque dubito, quin orthodoxi ministri, qui sunt in fœderata Belgica nostrum consilium secuturi sint, si hæc difficultas illos non remorabitur.

Subinde

Subinde redit ad *prædestinationem*, Witakerum, Perkinsium, & alios heroas de Ecclesia Dei quam optimè meritos odiosè producis. Inter cætera facis mentionem Melanchthonis, & vis nobis persuadere, Remonstrantes cum Melanchthone sentire. At verò ego ob doctrinam de *prædestinatione*, præter unum Socinum, neminem, quod sciam, unquam oppugnavi. Controversiarum Hollandicarum spectator fui, non actor, possum ferre dissentientes, & etiam reipsa fero; modo doctrinam quam profiteor, & quam veram esse scio, non oppugnent. Deinde palam hactenus professus sum, me solius Conradi hæreses oppugnare: sed neque hunc propter doctrinam de *prædestinatione* oppugno. sunt enim capitales hæreses ipsum fundamētum salutis nostræ evertentes, quas oppugno. In fine meorū Commētiorū defendi quidem doctrinam veram de *prædestinatione*, sed ab illo antè oppugnatam. Edideram Theses quasdam de *Prædestinatione*, quas ille ineptè & imperite flagellat, has ego vindicavi, & simul ostendi, quam fatua & inertia sint ipsius flagella. Imposturam igitur sapit, quod de *prædestinatione* prætendis. Iam dudum ostendi, controversiam de *Prædestinatione* tantum prætextum esse, & sub hoc Prætextu doctrinam de Deo, de persona & officio Christi, de satisfactione pro nobis à Christo præstata, de fide justificante & justificatione nostri vafrè & testè oppugnari: Potuisses igitur hoc quicquid est omittere. interea dissimulare non possum, Witakerum & Perkinsium tam benè de Ecclesia meritos esse, ut odiosè à te produci non debeant. Quod ad Melanchthonem attinet, erras, si existimas hunc stare pro Remonstrantibus. Hic enim dicit, misse.

5buidet

misericordiam Dei esse causam electionis nostri. In locis de prædestinatione. Reste dicitur causam electionis esse misericordiam in voluntate Dei. Et, Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei, id est, Dei misericordia est causa electionis. Idem dicit peccatum esse causam reprobationis, sed reprobationis positivæ. Disertè enim scribit. Ideò rejiciuntur, quia nolunt audire filium, quod non nisi de rectione politiva intelligi potest. Idem rectè docet præmissionem esse universalem & gratuitam: sed nusquam docet, fidem prævisam esse causam electionis nostri ante secula factæ; aut peccata nostra esse causam reprobationis negativæ ante secula factæ; aut gratiam Dei omnibus hominibus expansam, & omnes homines etiam non regeneratos eam apprehendere posse. Idem Melachthon in nonum caput ad Romanos. Cur, inquit, nos ad Euangelium vocavit, & non vocavit Alexandrum Macedonem, Augustum, Socratem, Pomponium Atticum, qui non minus civiliter vivebant quam nos? Hic necesse est causam rejicere in voluntatem Dei. Ex, Iacob electus est, & sau repudiatus, priusquam quicquam boni vel mali fecissent. Ergo opera non erunt causa, sed voluntas vosantis. Non addam h̄c, quomodo cavillentur ista nonnulli. Tantum hoc meminerit lector, si opera secutura in vita erunt causa electionis, non licuit Apostolo dicere, Non ex operibus. Ex his constat Melanchthonem idem cum Calvinio & Lutherò de prædestinatione sensisse. Faretur hoc ipse Melanchthon in epistola ad Calvinum. Scio inquiens, h̄c cum tuis congruere, sed mea sunt ταχύτερα, & ad usum accommodata. Idem in epistola ad Erasmum. Ego integra conscientia non possum Lutheri dogmata damnare. Idē testimonio Calvini probari potest. præfatione enim,

E. quam

quam præfixit refutationi Pighij , provocat ad judicium Melanchthonis, & hoc rectè. Vterque enim docent non nostra opera , sed solum & unicum Dei beneplacitum esse electionis nostri causam. Hoc piaesupposito , doctrinam de Prædestinatione diversa methodo tradunt. Calvinus enim à priori docet illos, qui electi sunt , immutabili Dei consilio electos esse, atque inde infert illos peri re non posse : Melanchthon verò à posteriori docet nos ex vera fide & feria resipiscentia discere, quod sumus electi. exempli gratia. Ego credo in Iesum Christum, & serio relipisco Ergo sum electus ; atque ita in ipsa re consentiunt. Hanc enim Melanchthonis argumentationem approbat Calvinus; & illam Calvini approbat Melanchthon. tārum abest, ut alter alterius doctrinam rejiciat aut condemnnet. Sed Remonstrantes Calvini doctrinam rejiciunt, convitijs incessunt , condemnant & execrantur. Tanta est differentia inter Spiritum Melanchthonis & Remonstrantium.

Pij viri semper operam dederunt , ut quemadmodum inter Melanchthonem & Calvinum in doctrina consensus fuit: ita etiam inter ipsorum discipulos concordia & consensus cōservaretur. Laborarunt hac in re Zacharias Vr̄sinus , Christophorus Pezelius, Wilhelmus Wittakerus, David Paræus, Daniel Tilenus , Antonius Thysius, Iohānes Bogermānus, & alij; At inquires, quare non èquè laborant, ut Socini Conradi & Remonstrantium opinionem cum sententia Melanchthonis concilient? Respōdeo horum sententiam conciliari nō posse. Melanchthō enim negat nostra opera esse electionis causam , illi hoc dicunt. Melanchthon dicit solum & unicum beneplacitum

placitum Dei esse electionis causam; illi hoc negant. Melanchthon docet electos finaliter & totaliter excidere non posse; illi docent contrarium. quin sunt ex vestris Academicis, qui scribant doceantque, apostasiam esse propriam affectionem sanctorum, hoc est, vere regeneratorum. Melanchthonis igitur sententia non magis cum illorum opinione conciliari potest, quam lux cum tenebris. Melanchthon enim verum fundamētum electionis retinet, illi hoc rejiciunt.

Nunc tibi expendendum relinquo, An magis è re Ecclesiæ sit dare operam, ut inter Germanicas, Gallicas, Britannicas, Helveticas, & Belgicas Ecclesias consensus retineatur, quam ut tam florentes Ecclesiæ per paucorum eristica ingenia dilacerentur & distrahanter?

Exagitas quod Conradum non magni faciam, & quod dicam, illum esse stupidum, indoctum, ferula dignum, ut qui ne quidem Syllogismum nectere didicerit, ac proinde non esse metuendum doctoribus pastoribusque nostris. Sed scire debes, me habuisse justas causas, quare ita scripserim. Ego ex multis duas tantum producam, ut simil brevis, easque tuo judicio submittam. Reprehendi Conradum, quod Deum substantiæ prædicamento, seu rerum generi includi scribit, tractat. de Deo, fol. 198. & docui Deū esse om̄n̄ propter hāc reprehensionē accusat me atheismi, errore, 6. At verò quod est substatiæ prædicamētali, seu rerū generi inclusum, hoc cōstat duabus entitatis, quarū una est generis, altera, differētiæ. Illius entitate convenit cum coeteris, quæ sub eodem genere ponuntur, hujus verò entitate ab ijsdem distinguitur. Sed Deus

E 2.

non

non constat duabus entitatibus. Deinde , quæcunque substantiæ prædicamentali includuntur, de illis substantia prædicatnr univocæ : sed hæc de Deo & creaturis univocè prædicari nequit. Concludo igitur Conradum errare, cum Deum alicui prædicamento, aut rerū generi includi scribit. Ipse quidem in scholijs de hac re multa dicit, sed adeo fluctuat, ut vix intelligi possit quid velit. Subinde dicit *Ens* esse genus analogū Dei & Creaturæ; sed de hac re controversia non est. Nemo enim, quod sciam, negat *Ens* esse genus analogum Dei & Creaturæ. Sed quæstiō est, An *Ens* sit genus univocum Dei & creaturæ? Hoc quidem Conradus nunc negat; At verò in tractatu de Deo, pag. 198. scribit. *Quod alij idcirco negant Deum esse substantiam, quia non substat accidentibus, nec ulli prædicamento seu rerum generi includitur: aut nimisum superstitione vocabula usurpant, aut quid dicant, nesciunt.* Vide, reprehendit illos, qui propterea negant Deum esse substantiam, quod non substat accidentibus, & quod nulli prædicamento, seu rerum generi includitur. Hoc non potest nisi de substantia prædicamentali intelligi. Hæc enim sola substans accidentibus, & prædicamento seu rerum generi includitur. Deinde ex omnibus doctis (quod quidem ego sciam) nemo est, qui simpliciter negat Deum esse substantiam; sed doctissimi Philosophorum Theologorumque solummodo negant, illum esse substantiam prædicamentalem. Vult igitur Conradus Deum alicui prædicamento seu rerum generi, hoc est, prædicamento substantiæ sive substantiæ prædicamentali inclusum esse. Hanc esse ipsius sententiam inde constat, quod pag. 25. scribit aliquem ex Perionio & alijs aristos.

Aristoteleis prolixè ostendere, Deum in *Categoriam* Substantia reverae esse, atque cum hac opinione suam congruere, non obscure innuit. Sed opinio hæc vera non est. Philosophus enim, à quo doctrinam prædicamentalem accepimus, distribuit substantiam prædicamentalem in primam, & secundam. Primam dicit substare speciebus generibusque. & illi inhærere accidentia. Scribit enim πρώτας οὐσίας τοῖς ἀλλοις διατάσσειν τὰ αἰλαχτά τὰ αἴλαχτα τὸ τέλον κατηγορεῖσθαι καὶ τάυτας εἶναι. Secundas substantias dicit esse primarum substantiarum Species & genera. verba ejus hæc sunt: μετὰ τὰς πρώτας οὐσίας μόνα τῶν ἀλλων τὰ εἴδη τὰ γένη διεπεγγόντια λέγονται. Ex quo apparet, solummodo corporeas & compositas substantias ad hoc prædicamentum pertinere. Hæc enim solæ substāt speciebus & generibus, atque illis inhærēnt accidentia. Deinde doctissimi interpretum hanc sententiam probant. Ammonius enim distinguit substantiam in simplicem & cōpositam. simplicem dicit esse aut perfectiorem prædicamentali substantiā, ut Deum; aut imperfectiorem, ut materiam. docetque Philosophum non de illa perfectiore, neque de hac imperfectiore: sed de sola composita agere. Cūm hoc facit Averroes. clare enim docet, *universissimum genus, quod in prædicamentali substantia reperitur, esse Corpus.* Hos penē tota Schola sequitur. Iure igitur reprehendi hominem, propterea quod Deum prædicamentali substantiæ includit. Eo enim cōcesso, necessariò sequitur, 1. Deum esse corpus, 2. Deum esse compositū, 3. Deum esse finitum. Sola enim corporea, (ut jam dictum est) & composita, ac proinde finita substantia in hoc prædicamento locum habet. neque ab his opinio-

E 3 nibus

nibus puto Conradum longe abesse. Multis enim contendit 1. Deum esse corpus, 2. in Deo esse subjectum & accidens, 3. infinitatem inter ea, quæ simpliciter adunaruntur sunt, referendam esse.

Post hæc dicit se non docere Deum esse genus, videlicet respectu divinarum personarum. Et tamen disertè scribit Pap. 237. Deum à seipso sive à natura sua habere specificam formam & differentiam, quæ ipsum subjectum necessariò restringit, &c. Vide. dicit specificam formam restringere hoc subjectū, quo? annon ad certam speciem? ita est: pag. enim. 234. scribit. *Hinc non efficietur — nulla differentia restringi posse*, loquitur de Deo, ad certam speciem. Vult igitur specificam differentiam restringere hoc subjectum ad certam speciem. At quod nam est hoc subjectum? Deus né, an genus Dei? alterutrum ei dicendum est. Sed genus Dei nequit hoc subjectum esse. nemo enim rectè dixerit, genus esse suarum specierum, aut suorum individuorum subjectum. Relinquitur igitur *Deus esse hoc subjectum*, quod differētia ad certam speciem restringit. Ipse Conradus huic collectioni non obscurè suffragatur. pag. enim. 13. reprehendit me, quod negem in Deo esse affectionem universalitatis. sed in quo universalitatis affe. Etio est, id est universale. pag. 38. scribit, ipsam communiatem, quæ diversis entibus simul inest, genericum quid necessario inferre. Ergo Deus absolute sumptus significat aliquid genericum, quod diversis entibus, patri sc. Filio, & Spiritui sancto simul inest. Addit Deum absolute sumptum de singulis personis rectè prædicari, tanquam generalius & communius quiddam de suis singularibus. sed quod de suis singularibus tanquam generalius quidam.

dam prædicatur, hoc est generale sive universale. Quin dicit Deum per synecdochen generis ponit pro patre & Filio. Ex ipsius igitur doctrina colligi potest, Deum esse genus, & Conradum æquivocare, cum hoc negat. Verum enimvero si Deus genus est, quarum rerum genus est? Illarum, de quibus ut generalius quiddam prædicatur. At quæ nam sunt illæ? Pater, Filius & Spiritus sanctus. Disertè enim scribit *Deum absolutè sumptum de his tribus, tanquam generalius quiddam de suis singularibus prædicari.* Eodem modo scribit personam latissimè sumptam esse vivæ substantiæ speciem. Sed hoc posito, sequitur etiā divinas personas esse vivæ substantiæ species. Cum hac in re deprehensus se defendere non posset, eo absurditas prolabitur, ut scribat *speciem esse idem quod inividuum,* hoc est, singulare. Sed hoc nodum non solvit. Dicit enim Deum absolutè sumptum esse speciem specialissimam, hoc est, individuum. pag. 35. *Ens, substantia, spiritus, &c. de ipso* (Deo scilicet absolutè sumpto) *tanquam de specie specialissima, hoc est, individuo rectè prædicatur.* & pag. 37. *Esentiam vel substantiam latè sumptam per divinas proprietates, tanquam differentias quasdam ad Deum, tanquam singularem speciem, hoc est, individuum rectè contrahi.* Deus igitur absolutè sumptus (secundum Conradum) est species specialissima, & tres personæ divinæ (secundum eundem Conradum) sunt tres species Specialissimæ, ut jam ostensum est. Ergo secundum Conradum in Deo sunt quatuor Species specialissimæ. Una enim Species specialissima, & tres Species Specialissimæ sunt quatuor Species Specialissimæ. Secundum eundem sunt in Deo quatuor individua. Nam quælibet Species specialissima (ut ille vult)

vult) est individuum : quoniam igitur in Deo (loquor ex hypothesi) sunt quatuor species specialissimæ, necessariò sequitur, in eodem esse quatuor individua. Deinde etiam si genus pro specie , & species pro individuis ponantur, Genus tamen est suarum specierum, hoc est, individuorum, de quibus ut generalius quiddam prædicatur, genus. Et species, hoc est, individua, sunt sui generis, cui tanquam generaliori rectè subjiciuntur, species. Inter genus enim & Species, quæ ita se habent, ut illud de his tanquam generalius quiddam de suis singularibus prædicetur, & hæ illi tanquam generaliori subjiciantur, est mutua quædam relatio. Illud enim (quomodo cumque accipiatur) est harum genus. & hæ (quomodo cumque accipientur) sunt illius species . Adde falsum esse quod dicit. *Species* enim si accurate & logicè loqui velis, est universale, non singulare. Individuum non est universale, sed singulare.

R elègat me ad Ramū, & stomachatur me serviliter adhærere Porphyrio. ad quod nihil aliud respondeo quam illud Lipsij. Nunquam mihi magnus est , cui Ramus magnus est. Inter cætera allegat Suares, & Timplerum. De Suares, possis mirari. Hic enim Aristotelis & Porphyrii sententiam constanter tuetur. Quod ad Timplerum attinet, etsi in multis sequitur Ramum; tamen in hac re prorsus cōtrarium docet; lib. enim. 3. Metaphys. cap. 5. problem. 11. Porphyrii Aristotelisque sententiam defendit, Ramisticorum argumenta refutat, & scribit Aristotelem impropriè. & *τολχησικῶς* loqui, cum Cariscum & Socratem vocat *τοξαρα* *αἰδηνός*.

Antea ostendi Conradum docere in Deo esse affectionem

(clarv)

otionem universalitatis. Sed affectio universalitatis est aptitudo, qua universale aptum est in multis esse, & in illis divisim multiplicari. Hanc crediderim esse causam, quare essentiæ divinæ multiplicationem introducere conetur. Non juvat illum quod essentiam distinguit in absolutam, & relativam. Nam relativa essentia etiam essentia est. Iam verò una absoluta essentia, & tres relativæ essentiæ sunt quatuor essentiæ. Hoc necesse est, ut concedat, aut cudit nobis novam arithmeticā, doceatq; unam absolutam essentiam, & tres relativas essentias easque inter se realiter diversas, non esse quatuor essentias.

Addit hanc relativam sive propriam essentiam esse per quam unaquæque persona est id quod est. Habet igitur Pater propriam quandam essentiam, per quam est id quod est, & quam non habet Filius, neq; Spiritus sanctus. Et Filius habet propriam quandam essentiam, per quam est id quod est, & quam non habet Pater neque Spiritus sanctus. Et Spiritus sanctus habet propriam quandam essentiam, per quam est id quod est, & quam non habet Pater, neque Filius. Sed quæcunque res ita se habent, ut quælibet illarum habeat propriam quādam essentiam, quam non habet altera illæ differunt essentialiter. secundum illam enim essentiam, quam Pater habet, Filius non habet, Pater differt à Filio, de cæteris est idem indicium. Sed Pater, Filius, & Spiritus sanctus ita se habent, ut quilibet habeat quandam propriam essentiam, quam cæteri non habent. Ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus (secundum hunc novum Theologum) differunt essentialiter. Ego addo ex principiis à Conrado positis necessariò sequi, personas divinas etiam locis divisas esse. Folio enim

RESPONSIO

42

59. scribit — *Verba fundis inania, nisi realiter & essentialiter differre ostendas, quæ nusquam locorum differunt, hoc est, quæ non sunt locis divisa.* Loquitur autem de intima Dei in omnibus rebus essentiali præsentia. Hanc nos asserimus; ille negat, idque propterea quod hâc essentiali omnipresentiâ positâ, putat Deum omnibus rebus misceri. Hoc cùm ego refutarem, diceremque Deum esse ens perfectissimum, & infinita ratione diversum à rebus creatis, & ob eam causam esse ab illis essentialiter diversum, neque illis misceri posse; dicit me inania verba fundere, nisi probem realiter & essentialiter differre, quæ nusquam locorum differunt. Ex quo apparet, illa tantum (secundum hunc novum Philosophum) realiter & essentialiter differre, quæ localiter differunt, hoc est, locis divisa sunt. Sed personas divinas differre realiter Conradus passim docet: differre eisdem essentialiter, modo ex principiis ab ipso positis ostendi. Ergo differre illas etiam localiter, hoc est, locis divisas esse, ex principiis ab ipso positis doceri posse manifestum est. Sed quæ localiter differunt, hoc est, locis divisa sunt, illa sunt finita & terminata. Personæ igitur divinæ sunt finitæ & terminatæ.

Hanc esse ipsius sententiam, etiam ex alio fundamento probari potest. Docet enim in Deo esse essentiam quandam absolutam, eamque communicari Filio, & Spiritui sancto; & quamlibet personam præter hanc communem essentiam habere quādam propriam essentiam, per quam est id quod est. Constat igitur quamlibet persona duabus essentiis, iisque inter se realiter diversis. Sed essentia, per quam res est id quod est, & per quam à ceteris rebus distinguitur, vulgo vocatur forma. Forma enim

nim est, per quam res est. Quid ni igitur illa communis essentia, quæ per hanc propriam restringitur, & in qua quælibet propria essentia, hoc est, persona est id quod est, est materia? Sed quod ex materia & forma constat, est finitum.

Vt taceam omne id, quod commune est, & per propriam essentiam contrahitur, atque ita per illam est id quod est, & per eādem à reliquis essentijs distinguitur, esse finitum: sed divina essentia absolute sumpta (loquor ex hypothesi) est communis, & per aliam quandam propriam essentiam contrahitur, atque ita per illam est id quod est, per eandemque à cæteris divinis essentiis distinguitur. Adde, omne id quod constat duabus essentiis, iisque inter se realiter diversis, else compositum, & omne compositum esse finitum. Num igitur negabit Conradus ex his principiis à se positis necessariò sequi, personas divinas esse finitas & terminatas?

Si hæc ita ut par est, expendes Hugo, videbis, opinor, quare tantopere urgeat in Deo esse affectionem universalitatis. Vt enim homo communiter sumptus propter hanc affectionem universalitatis aptus est esse in multis, & in illis divisim multiplicari: ita Deus cōmuniter sumptus, propter hanc eandem universalitatis affectionem, aptus est esse in multis, & in illis divisim multiplicari.

Hanc conclusionem, sat scio, negabit Conradus esse suam. neque causa ignota est. Illustrum enim Ordinum Hollandiæ animi nondum sunt satis præparati ad has blasphemias hæreses recipiendas. Interea provoco ad omnes illos, qui harum rerum periti sunt, An hæc hæretica & blasphema dogmata ex principiis ab illo positis

F 2 non

non necessariò sequantur? & annon omnibus viribus contendat Conradus, ut has damnatas Servetissarum hæreses in Ecclesiam Belgicam introducat? Hujusmodi tergiversationibus & equivocationibus scatent omnia ipsius Scholia, quemadmodum facile possem ostendere. Sed mihi non libet hæc pluribus excutere: tantum oro Deum, ut Illustribus Hollandiæ Ordinibus oculos aperire velit, ut hæc videre possint, & se ab homine hæretico non decipi fallivé patientur.

Alio loco docui, *Calvinum non docere Deum absolutâ suâ voluntate, sine omni respectu peccati quenquam damnare, aut decrevisse damnare, atque hoc ipsum ut disputabilem materiam Coronidis modo proposui.* Hanc Coronidem ille flagellat, & dicit esse vanam & futilem; ejusque loco hanc veram & utilē (nota acumen Conradi) substituit, quæ summam totius veræ doctrinae de prædestinatione Dei, unicō Syllogismo complectitur, is autem talis est:

Déus ab aeterno decrevit omnes in Christum perseveranter eredentes, & respicientes servare, contraḡ in reuios & imp̄enitentes damnare.

At in divina præscientia hic ab aeterno perseveranter credit, videlicet Petrus: ille non credit, v.g. iudas.

Ergo Petrum servare, iudam vero condemnare Deus ab aeterno decrevit.

Hunc Syllohisimum reprehendi, idq; propterea, 1. quod non quadrat ad ullam formam, aut modum. 2. quod Major & Conclusio habent idem subjectum & idem prædicatum. ac licet alia sit descriptio prædicati in conclusione, quam in Majore, tamen quod ad ipsam propositionū essentiam attinet, nomen Deus est subjectum in utraque.

3. quia

3. quia in hoc Syllogismo sunt quatuor termini, Primus Deus, secundus *decrevit*, tertius *hic videt et Petrus hic videlicet Iudas*, quartus *credit*. Hunc Syllogismum Conradus in Parænesi, & in Scholiis defendere conatur, & dicit illum esse actu unicum, potestate duplice, & esse in prima figura, in modo Darij, quod risum movet. Vt enim de eo, quod dicit eum esse actu unicum, potestate duplice, nihil dicam, repeto illum ad nullam figuram, & ad nullum modum congruere. quod ut videbas, resolvam eum in duos Syllogismos:

Deus decrevit omnes in Christum perseveranter credentes & resipiscentes servare.

At in divina præscientia Petrus perseveranter credit.

Ergo Deus decrevit Petrum servare. Et.

Deus decrevit omnes incredulos & impænitentes damnare.

At in divina præscientia Iudas non credit.

Ergo Deus decrevit Iudam condemnare.

Hi ambo Syllogismi sunt æque inepti atque ille prior, quin eadem vitia in his duobus reperiuntur, quæ sunt in illo priore. & ob eam causam etiam hi duo ad nullam figuram congruunt.

Post hæc reprehendit me propterea quod dixi: *Deus* esse subjectum Majoris. *Decrevit* esse prædicatum, & suplicatur hoc propterea à me factū esse, quod *Deus* primo loco ponitur, *Decrevit* posteriori. Ego prius ad illud, deinde ad hoc respondebo. Ad illud dico *Nomen*, in omni oratione sive prædicatione logica, aut illud quod vice nominis fungitur, esse subjectum; & *verbum*, aut illud, quod verbi vice fungitur, in eadem esse prædicatum. Sed in hac oratione:

F 3 Deus

*Deus ab aeterno decrevit omnes in Christum perseveranter credentes & resipiscentes servare,
Deus est nomen. Decrevit est verbum. Ergo in hac oratione, Deus est subjectum. Decrevit est praedicatum.*

Ad alterum dico, perinde esse primo ne, an secundo, an tertio, an quarto loco ponatur nomen. sive enim dicas: *Deus decrevit credentes servare. sive Decrevit Deus credentes servare. sive Credentes decrevit Deus servare. sive Credentes servare decrevit Deus.* Semper *Deus* est subjectum, *Decrevit* praedicatum. Quæ hic scribo, inter omnes Logicos sunt extra omnem controversiam posita, Summo igitur jure hunc Syllogismum reprehendi.

Tandem ipse rejicit priorem Syllogisnum. Dicit enim *Syllogismus meus duplicatus ita se habet in forma:*

Omnis in Christo constanter credens & paenitens certò servatur ex aeterno Dei decreto. contraria omnis incredulus & impoenitens certò damnabitur ex aeterno Dei decreto.
At Petrus constanter credit. Iudas contra incredulus est.
Ergo ex decreto Dei ille servabitur, ille condemnabitur;
Nam hæc forma prorsus non convenit cum illa priori.
Hæc enim duæ propositiones

Deus decrevit constanter credentem servare. Et,
Constanter credens ex aeterno Dei decreto servatur.
neque subjectis, neque praedicatis convenient. Subjectis non convenient. In illa enim Deus, in hac credens est subjectum. neque praedicatis convenient. In illa enim *decrevit*, in hac servatur est praedicatum. Hæc sunt certa, & ipsis pueris nota. Proinde si Syllogismus ille hac formâ.

mā construi deber, sequitur priorem formam non esse bonam. Deinde qui potui ego divinare illum hac formā construendum esse? Sibi igitur, non mihi imputet, quod illum tam malā formā construxit.

Quod ad hunc posteriorem Syllogismum attinet, approbamus eum. Cum Scriptura enim confitemur verissimum esse quod Christus dicit, Mar. 16. 16. *Qui crediderit, servabitur; qui non crediderit, condemnabitur.* Addimus utrumq; ex Dei decreto fieri. quicquid enim Deus in tempore facit, hoc ab æterno facere decrevit. Sed hoc nihil facit ad rem, neque nodum solvit. Non enim quæstio est, An credens servabitur, & incredulus condemnabitur? Ambo enim hoc confitemur. Sed quæritur, An opera nostra saltem prævisa sint causa electionis nostri? an verò sola & unica Dei voluntas sit ejus causa? Illud nos negamus, verissimum enim est quod magnus Melanchthon inquit: *Si opera futura in vita erunt causa electionis, non licuit Apostolo dicere, non ex operibus.* Ergo opera non sunt causa. Hoc affirmamus. Æque enim verum est, quod idem Melanchthon ex Apostolo profert: *Non est volentis, neque currentis; sed misericordia Dei.* Rom. 8.9. Ergo Misericordia Dei est causa electionis. Mihi non libet plura addere. Tantum dico hujusmodi tumultuationibus & tergiversationibus tales Syllogismos defendi non posse. Deinde sciendum tibi est, illos, qui Conradum Curatoribus commendarunt, supra modum prædicasse ejus eruditionem, eamque tantis laudibus extulisse, ut omnibus metum injicere voluisse videantur, efficerintque, ut multi sibi ab eo metuerint, & ejus congressum formidaverint, & imperita juventus quasi attonita stu-

puerit

puerit novum hunc & quasi è cœlo delaplum doctorem.
Hic metus fuit orthodoxis doctoribus, pastoribusque adimendus, & juventus ab hoc stupore liberari debuit.
Dixi igitur scapham scapham, & hoc, Deo sit gratia, per ipsius scripta asscuti sumus, ut ex nostris doctoribus pastoribusque sibi ab illo nunc metuat nemo; & ut juventus ab hoc stupore ad se reversa, de hoc doctore non aliter sentiat, quam debet. Huc accedebat, quod Conradus præ se ferebat in usitatam quādam animi moderationem, atque hanc ipsius præcones miris laudibus efferebant, ut imperitos homines, qui magis externis gestibus & circumstantiis, quam ipsius rei veritate moventur, attonitos redderent. Nos verò sciebamus hominem esse elatum, iracundum, & prorsus implacabilem. Hæc vitia simulatâ lenitate tegebant, & præcepta opinione scientiæ, quam tumet, alebat. Debuimus igitur operam dare, ut hæc vitia curaremus. quamdiu autem ipse animi sui morbos premebat, eosdemq; alios celare poterat, frustra emendatio sperabatur. opus igitur fuit, ut & ipse animi sui morbos sentiret, & alij eosdem viderent, quod utrumq; ut fieret, commodum esse judicavimus, si illi hos pueriles errores ostenderemus. Res ipsa docet hoc remedium fuisse tempestivè adhibitum. simulatq; enim nostri commentarij prodierunt, quasi in furorem conversus omnē, quam simulabat lenitatem & modestiam perdidit, & nihil nisi atram bilem vomit, instar furiosi hominis litigat, furit, insanit. neq; hoc præter opinionē accidit. homini enim superbo & vana sciētię opinione tumido nihil ægrius feceris, quam si ipsius inscitiā detexeris. Verum enim verò qui rem totam rectā ratione æstiment, longè aliter judi-

judicant. Sciant inscitiam non esse probrum. Non enim si tibi inscitiam exprobro, habes justam causam quare excandescas & furas. Quantulum enim hoc ipsum est, quod nos scimus, & propter quod tantos Spiritus gerimus? ut stulti & prorsus insani hominis sit propter exprobratam inscitiam tantas lites ciere, & tam multa convictia, quæ ne quidem apparenter vera sunt, in hominem innocentem, vel saltem nihil tale promeritum vibrare. Quanquam ego, postquam illam biliosam & mendacilōquam Parænesin & hæc tumultuosa Scholia edidit Conradus, de illo paulò melius sperare incipiam. Anteā enim omnes ex alto despiciebat, & præ se contemnebat, neminem judicabat dignum, quem contra scriberet, quām Piscatorem: sed nostris commentariis edoctus est rem se longè aliter habere. reipsa enim ostendit suas hæreses à nobis lethaliter sauciatas esse. hinc illæ lachrymæ. nisi enim hæc vulnera sensisset, nunquam tam protervè in nos excanduisse. Nos verò ex hac animi perturbatione colligimus, illi rem ad triarios rediisse. causæ enim diffidens ad convictia configit, & quod justis rationibus efficere nequit, hoc sperat se per convictia efficere posse. Equidem nec in Bellarminum, nec in Pistorium, nec in Iesuitas Monasterienses, neque in quenquam adversarium ita exarsit, atque in Sibrandum. non obscurè igitur colligere poteris, Hugo, ipsius hæreses à nemine tam graviter vulneratas esse, quām à Sibrando. Hæc perturbatio animi adaget hominem vel ad errores corrigendos, vel ad illos defendendos. Vtrumque Ecclesiæ commodo fieri potest. Nam si errores suos seriò agnoscat, restituet Ecclesiæ pacem, & se eidem reconciliabit, quod ei ex animo

G

mo

RESPONSI0

mo precamur: sin verò illos defendet, ad eorum defen-
sionem plura monstra comminiscetur, atque ita Ordini-
bus oculos tandem aperiet, ut videant verum esse quod
scribimus. Ut ut sit, ego me in hac tota actione Ecclesia-
rum reformatarum, quæ sunt in Germania, Britannia,
Gallia, Helvetia & Sabaudia, judicio submitto, si quid in
Conradi hæresibus detegendis & refutandis, præter id,
quod Christianum hominem decet, scripsi. Tantum ex-
cipio, quod istum librum, quem à se obsignatum ex arce
ad seniorem Husmannum misit, & per quem ipsum Hus-
mannum in suam hæresin pertraxit, à Conrado compo-
situm esse scripsi. Etsi enim ille, qui mihi librum manu-
scriptum procuravit, affirmaret eum esse Conradi, & si-
mul diceret, se illum ex exemplo Conradi manu scripto
descripsisse: tamen & ab ipso, & ab alijs post ipsius Pa-
rænesin editam intellexi, illum esse Socini. In hac igitur
narratione erravi. Hunc errorem ingenuè confiteor. Ne-
mo enim tam promptus esse potest ad errores meos ostē-
dendos, quam ego ero ad illos agnoscendos, cùm de eo-
rum falsitate certior factus sum. Ut taceam me ita esse
affectum, ut sciens & volens neminem injustè gravare
velim. Verum cùm tria objecissem Conrado, unum,
quod hunc librum composuisset; alterum, quod illum
benè obsignatum ad Husmannū misisset; tertium, quod
Husmannum per illum in suam sententiam pertraxisset:
ad illud primum respondet, ad hæc duo posteriōra filer.
Hæc igitur duo pro confessis sumo, & dico, non minore
culpam esse, hæreticum librum ab alio conscriptum ho-
mini incauto legendum dare, eumque per istius libri le-
ctionem in hæresin pertrahere; quam hæreticum librum
com-

componere. Omnes sani homines mihi dabunt, illum
gravius peccare, qui homini venenum porrigit, illumque
perillud occidit; quam qui illud miscet.

Rides, quod scripsi, illum audiri, quoties illius librum le-
gimus. Ego verò illud adhuc dico, addo ad honestam di-
missionem sufficere libri lectionem. Hic te supra modum
jactas. Inter cœtera dicis, *Inauditos & indefensos tanquam
innocentes perire.* Sed jam ante dixi, Ecclesiæ Belgicas nō
petiisse, ut periret, vel quod idem est, non petiisse, ut cō-
demnaretur, aut aliquo supplicio afficeretur; sed tantum
petiisse, ut dimitteretur. Hoc absque ipsius interitu; imo
fortassè cum ipsius commodo fieri potuit, & hoc ipse
Conradus non obscurè innuit. pro tam miti enim consi-
lio mihi isto tempore publicè gratias egit, ut ante ostend-
sum est. Extra scopum igitur erras, cum ex Seneca dicis,

Qui statuit aliquid parte in iudita altera,

Aequum licet statuerit, haud aequus erit.

et cum inter rō dirgōs, rō dirgōs & pīpīus distinguis.
Quin eousque proveheris, ut dicas hanc juris prudentiam
esse novam, & turbā humāne societati. Sed Vide, quò te
abripiat Sibrandi infestandi, & Conradi defendendi libi-
do. Dum enim Sibrandum persequeris, ipsum Regem
Galliax, & Regem Britanniæ iniquitatis & turbatæ hu-
manæ societatis accusas. Regem Galliax. Hic enim Bel-
larminum eo, quem tu requiris, modo non auditum con-
demnavit, ejusque librum Parisijs exussit. Regem Britan-
niæ. Nam & hic contra Conradū simili modo non audi-
tum istam cēsuram edidit. Num poteris negare te tacitè
ostendere hos duos reges inique egisse, & humanam so-
cietatem perturbasse? Si de me tale quicquam verè di-

G 2 cere

cere posses, quantas turbas concitares? Sed justum Dei judicium te urget; dum enim me sine causa criminaris, & totus in eo es, ut me Ordinibus Hollandiæ invisum redas, temetipsum gravissimo crimine obstringis, & ipsos unctos Dei maledico ore iniquitatis, & perturbatæ humanæ societatis reos peragis.

Tandem accedis ad ipsam *auditionem*, & prolixè narras, quid Ordines Hollandiæ fecerint, ut illorum pietatē defendas, & me maiestatis læsæ reum peragas. At verò ego Ordines Hollandiæ non accuso, neque unquam accusavi; multò minus accusavi illos alicujus impietatis. Me igitur atrocí injuria afficis. Si aliis quispiam est, qui hujus rei culpam in se admisit, quare non nominas eum? quare non allegas ipsius scripta, dicta, facta? Sed quod de alijs innominatis dicas, puto inanem quādam rhetoricationem esse, ego ad tuam accusationem revertor. Dicis. Tandem hoc devenit Sibrandus, ut dicat Ordines ad eam cognitionem nullos adhibuisse viros cōtroverſiarum peritos, itaque facile & impunè Vorstium illūſisse ipsorū imperiū. Egone hoc dixi, quo loco? quo libro? qua pagina? Deprome hæc ex meis præfationibus, aut ex omnibus meis libris. Ergo dicens te hæc non scripsisse? Hoc dico, & rursus iterumq[ue] dico me hoc non scripsisse. Quid igitur inquis, dixisti? dicam tibi. In præfatione ad Archiepiscopum pag. 17. lin. 14. scripsi. Cūm hæreticus in confessu Ordinum solenniter jurasset, se essentialem Dei omnipotentiam nunquam negasse, dixit in eodem confessu, confessu? īmo in eodem momento, Deum sua essentia non esse in fierquilinijs, cloacis & locis fōrdidis essentialiter præsentem. Quo sānè facto ipsos Ordines Hollandiæ subsannare, & quassō nāsō

naso suspendere voluit. Voluit enim declarare, se judicare illos, apud quos dicebat, ne minima quidem harum rerum scientia prædictos esse, ac proinde licere sibi apud illos, quicquid in buccā veniret, impunè deblaterare. Nam si judicasset, illos harum rerum vel mediocrem scientiam habere, nunquam in illorum conspectu dixisset. Deum non esse sua essentia præsentem in sterquilinijs, cloacis, & locis sordidis. In eadem præfatione pag. 20. lin. 18. scripsi. In tractatu de satisfactione scribit. Plena solutio à quoconque tandem præstetur, cum vera remissione consistere nequit; atque hoc ipsum argumentum errore sexagesimo sexto non tantum agnoscit pro suo, sed etiā aliquot ratiusculis asserere conatur. In confessione scribit. Deum nulla pro nobis satisfactione accepta nos in gratiam recepisse. Et. Christum ob id potissimum in mundum venisse, ut nobis peccatoribus hanc liberalitatem — annunciat — confirmaret, — & re ipsa communicaret, videlicet quatenus nos à peccatis avertit. Et. Christum, ut nos hujus gratiae participes facere posset, oportuisse multa acerba perpeti, qua omnia satisfactionis titulo non immerito insigniuntur. Et. Aliam satisfactionem ex sacris litteris extrudi non posse. In oratione apologetica addit, suam sententiam ex confessione sufficienter intelligi posse, & se illam nunquam revocasse. quo item factio ipsos Ordines Hollandie sarcastice risit; quia enim in illorum confessu tam pugnantia deblateravit, re ipsa ostendit, se judicare illos, apud quos dicitur, nullam harum rerum scientiam habere, & ob eam causam se huiusmodi cœlōrumata impunè apud illos pronunciare posse. An vero salva religione jurisjurandi illa scribere, & hac dicere posuerit, non immerito dubitaveris: nisi enim equivocationibus ludat, nunquam tam pugnantia cœciliaveris. His subjungo. Quanto autem satis fecissent Ordines Hollandie,

G 3 landie

RESPONSIO

§4

landis, si cum illum perorantem audirent, adhibuissent viros
harum controversiarum peritos, qui de hujusmodi hæresibus,
tergiversationibus, contradictionibus & equivocationibus
rectè judicare potuissent. Si non voluerunt doctoribus & pa-
storibus indigenis voc judicium permittere, potuerunt viros
orthodoxos, & de hæresi non suspectos ex Germania, Britannia,
Galia, Helvetia, Sabaudia accersere, ad has equivocationes, hæ-
reses, tergiversationes, & contradictiones ritè explicandas
aptos & idoneos, quod si tecum essent, non solum sine difficultate,
sed etiam cum magna dignitate has dissensiones sustulissent.
Hæc sunt mea verba, hæc dixi, hæc scripsi: illa quæ tu po-
nis, mea non sunt, illa nec dixi, nec scripsi. Hoc satis esset
ad mei defensionem. Verum quia admodum tumultu-
aris, & te impotentissimè jactas, plusculum addendum est.
Nondum dispergo benéne an male scripserim? sed an ita
scripserim? tu ait, ego nego. ut quilibet videat, tunc an
ego veritatem dixerimus? Non dixi Ordines ad eam co-
gnitionem nullos viros controversiarum peritos adhi-
buisse, & Conradum propterea illusisse illorum inscitie:
sed dixi, Conradum ostendere voluisse, se judicare Ordini-
nes ne minima quidem harum rerum scientia præditos
esse. Vide, non dixi, Ordines esse harum controversiarū
imperitos: sed dixi, Conradum re ipsa ostendisse, se judi-
care Ordines non esse harum controversiarum peritos.
Inter hæc duo est magna differentia. Illo enim dicitur
Sibrandus fecisse; hoc vero id Conradus fecisse dicitur.
ταπέρως dico, me posse ostendere, doctissimos Theologos,
qui hoc tempore clarent, & doctrina eruditio neque per
universam Ecclesiam celebres sunt, scriptis litteris confi-
teri, se non scivisse tantas hæreses sub Conradi scriptis
latere.

laterc, nisi ex meis libris didicissent. Non igitur si quis diceret illos, qui totam ætatem in Reipubl. administratiōne consumunt, & non nisi succisivis horis Theologica tractant, harum cōtroversiarum peritos non esse, propterea reprehendi deberet: sed ego hoc non scripsi, quemadmodum ostensum est. Deinde doceo Conradum subsannasse & sarcasticē risisse Ordines, eumque hac subsannatione risuque ostendere, se ita de Ordinibus judicare. quod verēne an falsò à me dictum sit, paulò post patebit. Postquam docui Ordines ab ipso derisos subsannatosque esse, subjunxi, quantos satius fecissent, si viros harum cōtroversiarum peritos, & ad Conradi tergitz ersatios, equivocationes, contradictionesque disjudicandas idoneos adhibuerent. Hoc longè aliud est, quam quod tu mihi affingis. Nihil enim affirmo, neque dico, quid fecerint, vel non fecerint, sed tantum modestè ostendo, quid ego optaverim; neque puto ex omnibus Ordinibus quenquā esse, qui hoc meum votum aut desiderium in malam partem interpretari velit aut possit. Hic non subsistit tua pietas, sed eosque progrederis, ut dicas meritis & subsannasse Ordines Hollandiæ. Sibrandus dicit, Irrisos à Vorstio Ordines, subsannatos, nāsō denique suspensos. At quid est irridere Ordines, quid est ἀγχοτας, τρυπαινας, si hoc non est? Nempe Sibrandus dicit Conradum risisse & subsannasse Ordines. Ergo Sibrandus risit & subsannavit Ordines. ô pulchrum advocationem! ô præclarum justitiæ fæcerdotem! Conradus irrisit, & subsannavit Ordines. Hoc facinus Sibrandus in sua præfatione redarguit, & insectatus est, & paulò post Deo benè adjuvante pleniū redarguet. Ergo Sibrandus risit & subsannavit Ordines.

dines. Perinde ac si significem aliquem injicere flammā in classem Amsterdamensem, & tu me propter hoc indicium incendij reum peragas. De hujusmodi advocatis iudicibusque dicit Deus apud Mosen. *Maledictus qui pervertit iudicium, & dicat totus populus, Amen.*

Demonstrato eo, quod non dixerim, quæ tu mihi per calumniam affingis. Examinemus quæso paulò pleniū, recténe an falsò dixerim, Conradum risisse, subsannasse, & quasi naso suspendisse Ordines, quod ut commodè sit, dico. Conradum in hac ipsa oratione Apologetica solenniter jurasse, se nihil nisi quod verum est, dicturum esse. pag. 4. *pollicor sancte — me Deo benē juvante — sincere, rotundē, clarē, distinctē, tanquam in conspectu divinae maiestatis — responsurum esse.* Idem juramentum iterat pagina 15. & 40. At verò qui Dei nomine vel ad suas hæreses palliandas, vel ad proximum lædendum abutitur, ille Deum ipsum ridet & subsannat. Levit. 19. 12. *Non jurabis in nomine meo mendaciter, neque pollues nomen Dei tui, ego Iehova.* His verbis Moses docet, in Dei nomine mendaciter jurare, esse idem quod Dei nomen polluere. Hieronimus in 17. cap. Ezechielis. *Qui contemnit iuramentum, illum despicit, per quem juravit, illigat, facit injuriam, cuius nomini creditit adversarius.* Ratio est manifesta. Deus enim nobis cōcessit, ut suo nomine, tanquam fidei pignore interposito ad lites dirimendas utamur. Qui igitur Dei nomine ad fraudes suas regendas abutitur, ille Deum ridet & subsannat, & ipso facto ostendit, se judicare Deum non curare nominis sui profanationem, neque propterea iratum fore mentienti. Si verò in conspectu Magistratus, qui est Dei vicarius, & loco Dei in terra iudicium

dicium exercet, Dei nomine abutitur, etiam ipsum Magistratum ridet & subsannat. Hoc etiam Gentes ex lumine naturæ sciverunt. Nam cum foedera sancireret, Deos testes vocabant, & qui ea rumpebant, Deos fallere dicebantur. Livius dec. 3. lib. 10. per quis Deos fædus iacturi essent, cum eo per quos ante iactum esset, se fellissen. ? per eosdem, inquit Asdrubal, qui tam infesti sunt fœter a violentibus. neque dubito, Hugo, quin mihi hanc Majorem sis libenter conciliebor.

Quicunque vel ad hæreses suas tegendas, vel ad mendacia sua stabilienda Dei nomine abutitur, ille Deum ipsum, & per consequens etiam ipsius vicarium, in cuius conspectu hoc facit, ridet & subsannat:

Hūic verò propositioni hanc subjungo Minorem.

Conradus ad suas hæreses tegendas, & ad sua mendacia stabilienda in conspectu Ordinum Hollandiæ, Dei nomine abutitur.

Hanc Minorem in mea præfatione probavi; sed quia tu, nescio qua de causa istam probationem videre noluisti, necesse est, ut eam tam perspicue probem, ut velis, nolis, eam agnoscere cogaris. Sic igitur progredior. In oratione Apologetica dicit pag. 16. Prima accusatio est, quod infinitatem Dei, & essentialem omnipræsentiam in libro de Deo negare dicor. Ad hanc accusationem responderet. *satis* in testando neutrā illarum recte intellectam à se negari. Similia habet in responsione Christiana & modesta, pag. 1. & in ejus præfatione pag. 8. Inquiramus nunc, quæso, in hanc responsonem tam multis juramentis confirmatam, & videamus, an infinitatem & essentialem Dei omnipræsentiam unquam negaverit? Evidem in

H. libro

libro de Deo pag. 234. lin. 17. scribit. *Respondeo essentia infinitatem inter ea, que simpliciter adorata sunt, non immemorando referri.* pag. 235. lin. 2. Deus per naturam necessitatem infinitus est. pag. 234. lin. 26. Deus neque essendo, neque operando simpliciter infinitus est actu. pag. 235. lin. 8. Deus non est immensa essentia, quia hoc natura aversatur. pag. 237. 20. *Nihil potest actu infinitum esse in natura tota.* Ergo neque Deus. pag. 238. lin. 4. Potentia Dei non prorsus infinita est. Ergo nec essentia Dei infinita est, ut enim infinita potentia requirit essentiam infinitam, ita finita finitam. pag. 237. lin. 11. Substantia Dei videtur ab angelis. Ergo non est prorsus & simpliciter infinita. Lege hæc, & judica, annon abusus sit Dei nomine, cum eo invocato, diceret se infinitam Dei nunquam negasse? Dices, illum hoc non dicere in suo sensu; sed veritatis inquirendæ causa, & in persona obijcenti. Nos in utrumque inquiremus. quod ut commodè facere possimus, ante omnia statum controversiae ex ipso Conrado proponemus. scribit autem pag. 214. lin. 15. *Non caret cōtroversia id quod hic assunitur pro certo,* videlicet essentiam Dei esse prorsus & simpliciter immensam, id quod suo loco infra plenius examinabimus, ubi sedulò disquirremus, an & quatenus sententia dicta vera sit nec ne? fol. 230. 15. *Quomodo illa immensitas Dei intelligenda sit, privatim an negativè, respectu substantiae an quantitatis?* — non levius opinionum discrepantia est. fol. 232 lin. 3. de prima & secunda thesi potissimum laboratur, sive rem ipsam, ejusque probationem, sive modum & rationem loquendi spectemus. At quænam est ista prima & secunda thesis? Prima thesis est. fol. 230. lin. 29. *Deum negativè, non autem privatim infinitum esse, & quidem ratione substantia sive essentia simpliciter infinita.*

*Simplicissima: non autem ratione magnitudinis, aut numeri,
aut qualitatis; denique infinitum esse actu, per se, & simpliciter,
quia nimirum essentiam habeat simplicissimam, nullis omnino
finibus descriptam aut inclusam, eoque totam ubique locorum
presentem; imo etiam ubi nullus locus est, v.g. in supremis cœ-
lis. Secunda thesis est pag. 231. 5. Deum tota suâ essentia,
sed absque magnitudine & quantitate ubique presentem esse,
eoque etiam virtute seu potentiâ non tantum, quatenus omnibus
rebus esse dat; sed etiam quatenus essentialiter in omnibus re-
bus adest, sicut tota anima est in toto corpore, & tota in qualis-
bet ejus parte. Verus igitur controversiae status est, An
Deus essentiâ suâ actu, simpliciter, & per se, infinitus sit?
Et, An Deus essentiâ suâ omnibus rebus præsens sit?*

Harum affirmativam tenet Hieronymus Zanchius, e-
andem tenent Prophetæ, Apostoli, Patres græct, Latini,
Scholastici, & universa Christiana Ecclesia. Hoc tam
clarè demonstravit doctissimus Sladus, ut adversarius
quod contra mutiat, non habeat.

Zanchius ad affirmativam probandam affert hęc testi-
monia lib. 2. cap. 6. quæst. 6. de Attributis.

1. *Ezaiæ. 66. 1. Cœlum est solium meum, & terra est scabellum
pedarum meorum. 2. Ieremiæ 23. 23. Nunquid Deus de pro-
pinquo ego sum, & non Deus de longinquo? num occultabis se
quisquam inoccultis, & ego non videbo eum, dixit Iehovah?
cœlum & terram ego impleo, dixit Iehovah. 3. Psal. 139. 7.
Quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero
in cœlum, ibi es; si stratum fecero in inferno, ecce tu ades; si affu-
mam alas auroræ, & habitem in novissimis maris, etiam illuc
manus tua deducet me, & apprehendet me dextera tua. 4.
1. Reg. 6. 27. Ecce cœlum, & cœli cœlorum non continent te.*

H 2

1. Reg.

5. Act. 17.17. Quamvis profectò non longè sit ab unoquoque nostrum. per ipsum enim vivimus, movemur, & sumus. 6. Ephes. 4.6. Unus est Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.

Argumenta ex his locis petita, ex professo refutat Conradus. Ad primum respondet, fol. 233. lin. 3. Locus Esaiæ. 66. cōtrariam porius sententiam astruit, quatenus ostendit Dei majestatem ideo templis manufactis includi non posse, quia substantialiter in altissimo illo cœlo, tanquam in solio suo, aut palatio suo residet: sic tamen, ut virtualiter etiam, sive rgar. cōpyscav suam in terra versetur; sive ita, ut hac etiam terrena curare & aspicere dignetur, quo sensu etiam Salomon. 1. Reg. 8.27. Et Stephanus Actorum 9.49. de hac re differunt. Ad secundum respondet, pag. 232. lin. 28. Ex loco autem Ieremiæ 23. si verba tantum seu phrasin ipsam spectemus, non magis solidè videtur colligi posse, divinam essentiam omnia & singula loca immediate & per se totam implere, quam ex loco Eph. 4.6. colligi potest, Christum suo corpore simul ubique adesse, sive per omnia loca diffusum esse. Nam & propinquitatis nomen, & implendi verbum optimè ad efficacem Dei providentiam omnia in omnibus disponentem & operantem referrī potest. Ad tertium respondet pagina 232. lin. 25. Et sane quod ad Psalmum 139. at: inet, Calvinus & alij interpretes faciunt illic tantum de omnipotente providentia, & operosa siue efficaci Dei virtute, non de essentia ipsius immensitate tractari. Ad quartum respondet respōsione prima. Ad quintum respondet pag. 233. lin. 15. Locus Actorū 17. tantum hoc docet, Deū in ipsis, quæ nos quotidie percipimus, beneficijs, aliquo modo agnosci posse, ut qui suā virtute et curā paternā nobis semper adsit, nec testimoniū experī unquam seipsum reliquerit, ut etiam dicitur, Act. 14.16. Ad sextū respondet pag. 233. lin.

19.

19. Locus Ephesiorū 4. aut tantum, aut certè potissimum agit de spiritualibus Dei donis in Ecclesia collatis, in qua ille peculiari modo per verbū & Spiritū suum regnare & habitare dicitur. Si tamen de generali quadam omnium creaturarum impletione, hoc est, gubernatione & rectione accipiamus, non continuo necesse est, ut ubicunque aliquis operatur, etiam si magnifice & gloriose operetur, ibi quoque totus substantialiter adsit.

Vide, Zanchij argumenta sibi opponit Conradus, eaq; his, quas modo recensui, responsionibus refutat, neque illa vel uno verbo defendit aut fulcit. Manifestum igitur est, Zanchium hoc loco tenere personam objicientis, & Conradum tenere personam respondentis, sive refutatis.

Postquam has responsiones sive refutationes argumētorum Zanchij ex Scriptura petitorum attulisset, tanquā Zachianā sententiā profligatā, ponit has duas conclusiones. Vnam pag. 233. lin. 25. *Vnde jam patet, ex Scripturis immensitatem aut ubiquitatem essentiae divinae solidè probari non posse; nisi alia testimonia proferantur, aut ex ijs, quae prolatā sunt, aliter quam hactenus factum est, argumenta formen- tur.* Alteram. pag. 233. lin. 28. *Imò (quod secundò generatim responderi potest) etiam si omnia hæc loca de essentiali presen- tia Dei accipiēda essent; non tamē evicta esset absolute essentiae immensitas, aut omniprésentia substancialis. cum totus ipse mun- dus & cælum illud cælorū per se finitum sit, eoq; necesse non sit, ut quis substantia sua hac omnia implet, si immensam habeat substantiam, & eam quidem omnibus locis totam præsentem.* Nō dispergo, quā verē vel false sint hæc cōclusiones. Tātū ostendo, quam conclusionē sive decisionē post refutata Zanchij argumēta inferat Conradus. Et ut videoas, Hugo, quid & quomodo hic agat, repeto illū proposuisse hanc questionē. *Est nē Dei essētia actu, simpliciter, et per se infinita?*

H 3

Hujus

Hujus affirmativam tenet Zanchius, & Scripturæ testimoniis probat. Hæc argumenta refutat Conradus, iisque refutatis, infert hanc conclusionem. *Immensitatem essentie divinae ex Scriptura sacra solidè probari non posse.* Post hæc afferit rationes à natura Dei petitas, ferè eodem ordine, quo apud Zanchium proponuntur. lib. 2. cap. 6. quæst. 1. de Attributis. Primum fol. 234. lin. 6. *Quia Deus est perfectissimus. Ergo substantia immensus, quia immensitas perfectio quædam est, finitudo autem imperfectio.* 2. *Deus est ens primum & prorsus independens. Ergo nec limitari, nec ad certum genus aut ordinem rerum, nec ad certos essentia terminos restringi potest.* 3. *Materia prima dicitur esse infinita potestate. Ergo Deus talis est actus.* 4. *Deus est purus actus, nec ullo modo compositus. Ergo nec ullo modo finitus.* 5. *Habet infinitam potentiam. Ergo & essentiam.* 6. *Infinitus est duratione. Ergo & essentia.* 7. *Operatur omnia in omnibus. Ergo etiam substance animaliter totus est in omnibus.* 8. *Pates & Scholastici omnes ita sentiunt. Ergo ita est.* Has rationes à natura Dei petitas ex professo refutat Conradus. pag 234. lin. 17. Ad primum, inquit, responderi potest, in ea ratiōne principium peti. Sed hoc non est satis. addit igitur, *Essentia immensitatem (præbe te virum Conrade) interea, quæ simpliciter adveniat ad cunctur, non immerito referri, eoque nullam perfectionem notari.* Ad secundam. *Quod Deus dicitur Ens summum, item summè bonum, summè potens, summè sapiens, &c. hinc non efficitur sub nullo prorsus esse generare, nec ullā differentiā restringi posse ad certam speciem: imo per hanc descriptionem prius contrarium ostenditur.* Et. *Quid verat aliquid esse summum in hoc vel in illo genere, & simul eamē essentiā suā finitum?* Ad tertiam. *Etsi materia dici-*

8167

eur infinita potentia, propter receptivitatem (ut vocant) aliarum formarum: actus tamen non habet essentiam infinitam, nec actus potest infinitis locis subsesse: ita nec Deus actus simpliciter infinitus est, nec essendo, nec operando. Ad quartam. Est quidem Deus purus actus: sed hoc non retat, quin simul sit in se finitus. Non enim per passum potentiam, sed per natura necessitatem talis esse dicitur. Ad quintam. Quod infinita virtus aicitur infinitam essentiam requirere, verum est de simpliciter infinita: sed talem virtutem non esse in Deo saltem quoad operationem ad extra, partim suo loco ostendemus, partim iam superius ostendimus. Ad sextum. Est quidem infinitus diuturnitate, quia sic ordo & necessitas natura postulat; sed non propterea est immensae essentiae. Hic non subsistit, sed addit hanc causam, Quia hoc natura potius aversatur. Ad septimam. Verum quidem est, Deum omnia in omnibus operari, & nos ipsi vivere, moveri & esse, &c. Non tamen sequitur, Deum immediatè illic suâ substantiâ adesse, ne bicunque operatur; quia per causas medias, sive physicas, sive hyperphysicas, puta angelos, &c. operari potest, ut Rex aliquis per suos ministros; nec continuò sequitur immensum esse, quia est in toto mundo, ejus partibus universis; cum i totus ipse mundus sit omnino finitus. Ad octavam. Augustinus quidem epistola. 57. ad Dardanum. Hilarius in Psal. 116. Ambrosius lib. I. cap. 7. de Spiritu sancto, vulgatam thesin iuentur: sed rationes eorum, non nude authoritates spectandas sunt. Non dispergo, quam veræ vel falsæ sint hæ responsiones ad Zanchij argumenta allatae. Sed tantum ostendo, quidnam hoc loco Conradus dicat in persona obijcentis. proponit autem sive objicit sibi illa argumenta, quæ Zanchius ad divinæ essentiæ infinitatem probandam adduxit, eaq; rejicit,

rejicit, & refutat, neque unum verbum affert, quo ea fulciat. Manifestum igitur est, Zanchium hic tenere personam objicientis; Conradum vero tenere personam respondentis, sive refutantis. Similatque Zanchij argumenta refutavit, addidit hanc generalem conclusionem, sive decisionem. pag. 290. lin. 23. Apparet igitur ex dictis, saltem incertum & dubium esse, quod vulgo de substantia immensitate tradatur, cum non satis apoditicè thesis habetens probata sit. Hactenus affirmativam sententiam oppugnavit Cōradus, hoc autem ei non est satis, sed omnibus viribus conatur negativam persuadere, ad eamque probandam affert multas rationes. pag. 235. lin. 25. Addamus, inquit probationes pro thesi contraria. Harum prima nūnitur his Scriptura locis, quibus affirmari omnino videtur, Deum ratione substantia sua (nota exclusivam) tantum esse in cœlo, sive in cœlesti paradiſo, que nimurum domus, & locus, & habitaculum ejus in Scriptura appellatur. Sic enim Es. 66. 1. vocat ipse cœlum solium suum, nempe quia in illo tanquam in aliquo regio solio residiat. Sic Psalmo 2. 4. Qui sedet vel habitat in cœlo, ridebit eos. Sic psalmo 103. 19. In cœlo præparavit thronum suum, & Psal. 113. 5. Altissimè habitat, & dimisè prospicit. Sic Psal. 115. 16. Cœlum, cœlum Iehovæ est. Et Deus noster in cœlis est. Sic passim alibi dicitur habitare in excelsis. Vide etiam Psal. 113. 2. & 33. 13. & 12. 3. & 138. 6. & passim alibi, ubi dicitur in cœlo habitare, è cœlo tanquam habitaculo suo prospicere, & res nostras contemplari, &c. Sic Christus jubet, ut invocemus patrem nostrum, qui in cœlis est. Matth. 6. 9. & 18. 10. & passim. Sic Apostolus inquit, Deum habitare lucem inaccessam. 1. Tim. 6. 16. Quia videlicet in cœlo illo, quod

est otum.

totum lucidum splendidum est, tanquam in regia. seu, (ut Io-
hannis cap. 14. vocatur) domo sua re, det. Sic Ef. 40. 22. legimus,
Deum supra sphæram teriæ, & habitatores hujus esse co-
ram eo velut locustas, &c. Et ut videoas, Hugo, Conradum
hic aliam personam sustinere, atque sustinebat, cum ar-
gumenta Zanchii proponeret, objicit sibi, quod doctores
Ecclesiæ orthodoxæ ad horum dictorum explicationem
afferunt, fol. 236. 16. Neque est quod quisquam excipiat hac
omnia impropriè ita dici, propter insigniorem aliquam glorie
arvinae patefactionem, que in cælo fuit, &c. Et simul hanc
objectionem sive exceptionem refutat pag. 236. lin. 18.
Nam hoc ipsum præcipuum hujus loci ἔγγραφον est, & tanta-
per dum clarius probetur, saltē in medio relinquendum est.
Secunda. Accedit tacitus quidam naturæ & omnium populo-
rum consensus. Ad cælum enim elevamus animum, & oculos,
& manus, quoties in precibus nostris ad Dei majestatem qua-
si assurgere conamur, atq[ue] ita nec obſcurè fatemur Deum in cœ-
lis habitare, prout disertè indicat David Psal. 123. 1. Ad te le-
vo oculos meos, qui habitas in cœlis, &c. Ipsi etiam Ethni-
ci hoc naturæ instinctu (seste Ar. Stoile lib. de mundo) Deum
in cælo, utpote suprema mundi regione, & quasi expōtoles ea
regia sedē habitare confessi sunt. Tertia. Ad hæc majestas ipsa
Dei postulare video, ut substantiam suam à rebus hisce ter-
renus & sordidis abstractam habeat, que alioqui rebus ipsi
immisceri, & pars eorum effici iudebitur, contra quam supra
de immutabilitate Dei docuimus. Et licet hoc non sequeatur,
Annon tamen in dñm erit Deo, si dicatur in antro formis
et, aut locis sordidis rotâ sua essentiâ adesse? Et, num majestatis
ejus consentaneum erit dñcere, totum essentialiter adesse in mi-
nimo pulvisculi grano? qui his cogitationibus indulgent, non
I. videntur.

videntur magnifice satis & condigne de Deo sentire. Hic non subsistit infinitatem Dei oppugnandi libido; sed ulterius progreditur, & hanc conclusionem profert. pag. 237. lin. 5. Simpliciter igitur credamus, quod sacra littera toties inculcat, Deum revera suâ substâniâ. (qua ut amplissima & maxima, nostrique respectu immensa, ita simul summè gloria est) in cælo altissimo eodemque capacissimo habitare: in terra verò ubique virtute & sapientia suâ, sive efficacia suâ nobis adesse. Quarta. Substantia Dei videatur jam ab angelus. Math. 18. 10. & videbitur olim à nobis facie ad faciem. 1. Ioh. 2. 3. Apoc. 23. 4. Ergo non est (præsta te virum Conrade) prorsus & simpliciter infinita. Nam quod tale est, nullo sensu apprehendi potest, quia scilicet proportio esse debet inter objectum percipiendum, & rem sive personam percipientem. Quia verò non ignorat, hæc loca ab Ecclesiasticis doctoribus de sensuali visu non accipi, præoccupat quod sibi objici potest (quod propterea noto, ut rursus videoas, Hugo, illum hic aliam personam sustinere, quam faciebat, cum Zanchii argumenta proponeret) & dicit pag. 237. lin. 15. Porro, quod ea loca, quibus Deam visuri dicimus, de interiori mentis speculazione, non de externa oculorum inspectione vulgo interpretantur, nescio an sacris literis satis consentaneum sit. Certe magnam futuram nostra felicitatis partem hac explicatione collere videntur.

Quinta. Nihil potest esse actu infinitum in natura rea, cum omnia entia certam habeant & definitam essentiam, per quam sunt id quod sunt, & per quam ab alijs differunt. Nam ne materia quidem, et si potentia dicitur infinita (quia semper alias atque alias formas recipere potest) actu infinita esse potest, nempe quia revera non potest recipere formas infinitas.

finitas, nec numerus ullus, nec magnitudo ulli actus infinita est. Ergo nec Deus. Nam actus infinitum esse, & in specie hoc vel illud esse, contradictoria sunt. quia omne quod est a Deo aliquid, in seipso finitum. & ad certum aliquod genus eneis quasi contractum est. Hic rursus preoccupat, quod sibi objici poterat, ut ostendat se aliam personam gerere, atque faciebat, cum Zanchij argumenta objiceret. Dicit enim. Non quod Deus ab alio finitus vel limitatus sit, sed quod a seipso, seu a natura sua habeat (nota blasphemiam) speciem formam seu differentiam, que ipsum subiectum necessario restringit, limitat & definит. Sexta. Potentia Dei et si respectu nostri & rerum possibilium recte immensa dicatur, non tamen prorsus infinita est, quia non extenditur ad impossibilia: imo in ipso Deo constitutae inter naturales Dei qualitates. Eago nec essentia Dei infinita est, quia usque infinita essentia requirit essentiam infinitam, ita finita finitam. Septima. Addo etiam, quod Sacra littera Deum quadam magnum, excelsum, elevatum vocant. Vid. Psalm. 95. 3. & 96. 4. & 99. 2. & alibi, sed nunquam absolute infinitum. Ne tamen videatur dicere, Deum nullo modo infinitum esse, ostendit, quomodo infinitus dici posuit, & dicit. Nam secundum quidem & comparative dicitur posse infinitum non negamus; sicut respectu nostri infinitus est numerus stellarum & arenae maris; quamvis in se definitum & certum esse constet; cum nihil actu infinitum sit, saltem in rebus creatis; licet multa sic dicantur suo quodam modo, peculiari respectu & modo. Lege hæc Hugo, & judica, an à condito orbe ullus homo existiterit, qui foedius abusus sit Dei nomine, quam hic homo faciat, quoties dicit se illa.

I. 2.

in:

in obijacentis persona , non definiendi, sed inquirendi causa
scripsisse? Sed dices fortasse, illum suo sensu (nam hæc est
altera ejus vel tergiversatio, vel æquivocatio) non nega-
re essentialē Dei infinitatem. Rectè, age igitur & hoc
ei diverticulum præcludamus. Præfatione ad Ordines
dicit, pag. 8. Coram Deo & toto mundo protestor, me infini-
tatem Dei non negare, in ipsa responsione pag. 1. Nusquam
ex meo ipius sensu nego Deū essentiaiter immēsum esse. Ora-
tione apologeticā pag. 16. Coram vobis sanctissimè te/ or,
neutram illarum (loquitur de immensitate & essentiali
omnipræsentia) rectè intellectam à me negari. At verò ubi-
que ostendit, quæ nam suo sensu concedenda sit infini-
tas. pag. 230. lin. 4. Deum esse essentiæ sua respectu immen-
sum, hoc est. maximum & amplissimum, adeq. ratione ma-
gnitudinis nobis incomprehensibile & immensurabile. pag.
234. 9. Deus actu simpliciter infinitus non est, neque essendo,
neque operando, tamet si respectu nostri sic dicitur utrumque.
pag. 237. 9. Dei essentia est amplissima & maxima, nostrig
respectu immensa. pag. 236. 9. Deum secundum quid & com-
parativè dici posse infinitum , non negamus ; scilicet respectu no-
stri infinitus est numerus stellarum & arenæ maris. Vide, ex
sensu suo dicit, Deum non actu, sed potentia ; non sim-
pliciter, sed secundum quid ; non per se, sed comparati-
vè & respectu nostri infinitum esse. Vno verbo, dicit eum
ita infinitum esse, quemadmodum numerus stellarum &
arenæ maris infinitus est ; ipsam verò essentiæ infinita-
tem, quam universa Ecclesia credit, & sine qua Deus nō
est Deus , sine qua etiam trinitas trium personarum in
una eademque numero essentia esse nequit , dicit natu-
ram aversari, & inter ea, quæ simpliciter adūera sunt, repo-
nendam

nendam esse; & tamen in conspectu eorum, qui sunt vicarij Dei, & loco Dei justitiam in terra administrant, invocavit Deum testem, se nunquam negasse essentialem Dei infinitatem. Non igitur opinor Hugo, te tuæ conscientiæ tantam vim facere posse, ut ausis negare, illum non tantum Magistratum, qui Dci vicarius est, sed ipsum Deum sarcasticè risisse, & ipsius sanctum nomen nequiter profanasse.

Sed hic non subsistit Dei nominis profanandi libido, ulterius progreditur, & dicit in eodem concessu, *metendum esse, ut cogitemus Deum cum aliarum rerum essentijs ubique permixtum esse, eumque omnia & singula, tam bona, quam mala per semetipsum immediate operari, si eum omnimodo & prorsus indiscretè, hoc est actu, simpliciter, & per se, infinitum esse statuamus.* Addit, *divinâ majestate indignum esse, dicere Deum in latrinis, cloacis, & locis sordidis essentialier presentem esse.* Quin eousque progreditur impietatis, ut in eodem concessu dicat, *partes in essentia Dei notari, si tota dicatur esse infinita, idque properea (nota supremam inscitiam) quod totum sine partibus esse nequeat, addatque, infinitatem in angustias redigi, si in quolibet punto tota esse statuitur.* Non dico quam indocta, falsa, & factua hæc sint; sed tantum annoto, quam protervè ad suas hæreses defendendas Dei nomine abusus sit. In eadem oratione dicit, pag. 49. lin. 6. *se veram & plenam satisfactionem Christi nunquam negasse.* At vero in confessione dicit, pag. 3. thesi prima. *Deum hominibus peccata remittere, nulla pro ijs solutione accepta, Et. Deum pænitentibus, & ad se convertentibus omnia peccata condonare, non acceptâ pro ijs plena solutione, neque hoc illi satis est, sed insuper pro-*

I 3 bare

RESPONSIΟ

•7

bare conatur, Christum non plenè pro nobis satisfecisse, & affert aliquot rationes, quibus hanc thesin probat, quas in commentario ad errorem quinquagesimū quintum refutavimus. Et, ut nihil intentatum prætermittat, dicit in eodem Ordinum confessu. pag. 43. lin. 2 *te hanc suam sententiam nunquam retractasse.* Hoc unum Hugo, te docere potest, hanc hominem quicquid prætendat, in animo habuisse, Deum & Magistratum fallere. Ante aliquot annos decepit Theologos Heidelbergenses. Etsi enim videri volebat παλινωθεῖν, & illis iatisfacere: tamen in conspectu Ordinum Hollandiæ dicit, se suam sententiam, quam scilicet in confessione posuit, nunquam retractasse. Sunt igitur adhuc, Deum nobis peccata remittere, non acceptā pro iis plena satisfactione. Sed hæc doctrina pugnat cum Dei verbo. hoc enim docet Christum *dedisse s̄ met ipsum p̄ o nobis redēptionis p̄ etium.* Marth. 22. 28. & 1. Tim. 2. 5. Solvere enim pro altero est iatisfacere. adversatur etiam doctrinæ Ecclesiarum Belgicarum. Catechesi quæst. 1. Qui [Iesus Christus] *pro omnibus peccatis meis plenissimè satisfaciens, me ab omni potestate Diaboli liberavit.* Ut autem sacræ Scripturæ, & doctrinæ Ecclesiarum Belgicarum adversatur: ita optimè congruit, cum deliriis Socini. Sic enim ille de Christo Servatore lib. 3. cap. 2. *Deum nobis peccata condonare nullā pro ijs satisfactione acceptā.* Vide, ovum non est ovo similius, quam Conradus Socino. Iam si Conradus sibi ipsi constabit, quomodo poterit hanc suam sententiam defendere, & vobis persuadere, se non profanasse Dei nomen, cum invocato Deo teste, in Ordinum conspectu dicaret, se veram & plenam satisfactionem Christi nunquam negasse.

negasse. Disertis enim & claris verbis dicit in confessione, Deans resipiscientibus peccata condonare nulla pro ijs plena satisfactione accepta. Et. Deum hominibus peccata remittere nulla pro ijs solutione accepta. Eodem Deo teste invocato dicit, idque in eodem Ordinum confessu, se hanc sententiam nunquam retractasse. Hic interrogo tuam conscientiam, Hugo, annon videas, hunc hominem ad haereses suas defendendas velandalve, Dei nomen turpissime polluisse? & per consequens Dei vicarium, in cuius coniectu Deum testem invocabat, sarcastice risisse & subfannasse? Progreditur ulterius, ut Ordinibus persuadeat se veram & plenam satisfactionem Christi nūquam negasse, & dicit se putare non omnes hypotheses à quibusdam doctoribus, & nominatim à Sibrando de hac re traditas, mordicus retainendas esse. Memineris, Hugo, eum quicquid in hac oratione dicit, invocato Dei teste, dixisse. Hoc annotato, audiamus illas hypotheses à Sibrando traditas. Inter illas inquit, pag. 49. lin. 17. hypotheses humanitus inventas, vel imprimis utramque hanc, de qua nunc agitur, numerandam esse puto, cum absolutam illam satisfactionis necessitatem, quippe qua liberam Dei potestatem in jure suo remittendo valde obscurat, imo prorsus evertit, cum specialem satisfactionis modum, qui cum fidei articulis de morte et resurrectione Christi non parum perspicue punit; dum scilicet mortem æternam propriè sumptam, & cum vera perpetuaq; desperatione conjuncta Christo re ipsa tribuit; & acceptionē Dei gratiosam seu juris stricti remissionē hinc prorsus excludit. Quatuor sunt, quæ dicit. I. Sibrandus docet absolutam satisfactionis necessitatem. II. Christum luisse mortem æternam propriè sumptam. III. Christi mortem

RESPONSIO

72

mortem esse cum vera perpetuaque desperatione con-
junctam, IV. Omnem gratiosam Dei acceptationem
hinc prorsus excludit. Ego breviter respondebo, ac pri-
mum ad primum dico, Satisfactionem vel in genere ac-
cipi, ut cum Catechesis dicit. q. 12. Deus vult sua justitia
satu fieri, quo ira necessaria est, ut vel per nos, vel per alium sa-
tu faciamus. vel in specie, ut cum Scriptura dicit Matth.
20.28. Filius hominis venit, ut daret animam suam redem-
ptionis pretium pro multis. Vnde duplex oritur quæstio.
Una, an Deus per absolutam suam omnipotentiam non
potuerit nos aliter liberare, quam per satisfactionem?
Altera, An Christus ex absolute necessitate pro nobis
satisficerit? utramque quæstionem ego distinctè expli-
cui. Illam lib. 1. de Christo Servatore cap. 1. ubi ex Au-
gustino docui, alium modum possibilem Deo non defuisse.
Hanc in eodem loco, ubi doceo, hunc per Christum liberan-
di modum ex liberrima Dei voluntate profectum esse. Idem
ferè doceo in Declaratione. fol. 47. Non est quæstio, an
Deus natura sua necessitate nobis dederit Mediatorem, qui
pro nobis satisficerit? Sed queritur, an natura odio habeas
peccata? Illud scimus profectum esse ex liberrima liberalitate:
hoc verò ei prorsus esse naturale. Vide, ego in genere doceo,
alium liberandi modum possibilem non defuisse Deo, in:
Specie doceo, Christi satisfactionem ex liberrima Dei
liberalitate profectam esse, & nō erubescit in oculo Deo
teste, & in conspectu Ordinum dicere, me absolutam
satisfactionis per Christum factam necessitatem docere?
Multa dicit de hac re errore 25. Sed neque sua probat,
neque mea refellit. Primum dicit à me implicari con-
tradictionem, eò quod dicam Deum necessariò punire
peccata.

peccata; & non necessitate absoluta punivisse ea in Christo Iesu. Sed ego in meis commentariis ostendi hic nullam contradictionem esse, & meæ assertionis rationem reddidi, quam ille intactam relinquit, & scribit. *Aut igitur extra Christum aliquis dari potest, qui Deo pro peccatoribus satisfaciat: aut punitio peccatoris non aliter quam Christi factio ad salutem necessaria censeri debet.* Sed hoc prorsus nihil facit ad rem. Non enim queritur, quid nunc, postquam scilicet Deus (loquor humano more) de peccatoribus per Christum salvandis decretum fecit, fieri possit? Sed quid Deus ab æterno, antequam scilicet (loquor rursus humano more, ut cum Augustino, magistro sententiarum, scholasticis, Paræo & aliis satisfaciam curiosis hominibus) de hac re decretum fecisset, pro absoluta sua potestate & infinita scientia facere potuerit? Deinde punitio peccatoris est condemnationis executio, ac proinde ad salutem necessaria non est: sed punitio Iesu Christi pro peccatore facta, & peccatori per fidem imputata ad salutem necessaria est.

Loca Rom. 1.32. *Ius Dei est, illos qui talia faciunt, dignos esse morte.* Exod. 34. 7. *qui absolvendo non absolvet.* Psal. 5.5. *Quia non Deus volens iniquitatem in eis.* dicit ad causam non pertinere. Atqui his locis natura Dei nobis describitur. Num igitur quæ Dei naturam nobis describunt, huc non pertinent? Post hæc dicit non omne jus Dei, sed jus Dei positivum esse Deo naturale. Sed hæc distinctio est nova, & in Dei verbo fundamentum non habet. neque quisquam potest Deo jus ponere. Retinemus igitur antiquam doctrinam, & dicimus illud jus Dei, cuius notio omnibus hominibus à natura impressa

K est,

est, esse Deo naturale. Addimus omnium hominū mentibus à natura insitam esse hanc notionem, Deum velle peccata punire.

Dixi vindicaricem Dei justitiam esse æternam Dei voluntatem jus suum cuique tribuendi; Hanc definitiōnem flagellat, eò quod generis definitionem speciei aptaverim ut propriam. Sed ego non dixi eam esse propriam definitionem Speciei, hoc est, justitiae commutativæ. Nemo negaverit esse descriptionem justitiae particularis; & ob eam causam etiam justitiae commutativæ, hoc est, vindicatrici attribui posse. Si quis dixerit. eam esse voluntatem servandi & qualitatem inter pænam & culpam, itemque inter præmia & rectè facta, non aberraverit.

Quærerit, An hæc justitia etiam pijs præmia tribuat? ad quod respondeo quod sic. Attribuit enim illis præmia, hoc est, vitam æternam, sed non propter illorum pietatem, verum propter satisfactionem Christi illis imputatam. Rom. 3.25. Quem proposuit Deus, ut esset placamen per fidem, fuso sanguine, ad (NOTA) declarandam justitiam suam.

Deinde quærerit, An præmia largiri sit opus vindictæ? ad quod respondeo, non esse opus vindictæ, sed justitiae commutativæ, quam ego vindicatricē vocavi. Hæc sunt, quæ in suis Scholiis adduxit, quibus ipse vides meos commentarios non moveri.

Ad alteram quæstionem respondi Declaratione fol. 26. Mortem cum maledictione conjunctim obiit Christus, Hæc mors nisi per Christum superata fuisset, desisset in mortem æternam; sed Christus cum plenissime pro peccatis nostris satisfecisset, fregit & superauit eam, eaq. superasā victor redi-
vidit.

vus exstisit. Resurreccio docet Christum plenissime satisfecisse; nisi enim pro peccatis satisfecisset, mortem, quae est peccati stimulus, superare non potuisset. De Christo Servatore lib. 3. cap. 3. Fatemar mortem aeternam esse peccati pœnam, scilicet in principali debitore, hoc est, in ipso peccatore: in ipsius verò vade & sponsare, nempe in Iesu Christo, mortem aeternam morti æquivalentem esse peccati pœnam. Vide, clarè & perspicue dico, Christum non luisse mortem aeternam, sed aeternæ morti æquivalentem, & superatā morte emersisse ex morte; & non erubescit invocato Deo teste, & quidem in conspectu Ordinum dicere, me docere Christum luisse mortem (nota) aeternam propriè sumptam?

Ad tertiam respondeo Declarat. pag. 68. Cum hac desperatione luctatum esse Christum testatur illa lamentabilis ejaculatio. Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me? Math. 27. 46. Sed superavit etiam illum. paulo post enim dicit. In manus tuas Domine, commendō Spiritum meum. Luc. 23. 46. Ex his quilibet videt, Christum non debuisse in aeternum in morte manere. Simulatque enim peccati pœna perfoluta est à Christo, fractus est mortis aculeus; neque illa Christum diutius detinere potuit. De Christo Servatore lib. 3. cap. 4. Non ruit in desperationem; sed luctatus est cum desperatione. Vide, clarè doceo, & publicis scriptis testatum facio, Christum non ruisse in desperationem; luctatum quidem esse cum desperatione, sed superasse illam; & hic homo non erubescit Deo teste invocato, & quidem in conspectu Ordinum dicere, Sibrandum reipsa tribuisse Christo aeternam mortem propriè sumptā, cum (Nota) vera perpetuaque desperatione conjunctam? De hac re in Scholiis errore 65. aliquid dicit, sed hoc est tam dilu-

K. 2. tum,

tum, ut non digner referre.

Ad quartam quod attinet, claris verbis distinxii inter acceptilationem Socinisticam & orthodoxam; & perspicue docui, quid de utraque sentiendum sit. de hac orthodoxa in Declaratione pag. 58. In judicio nemo potest pro alio pœnam luere: nisi legislator hoc permittat; Nisi, inquam, ille velit crimen in aliud transferre, & reum propter pœnam ab alio exanthlatam absolvere, nihil profuerit homicidæ, qui reus est, etiam si centies mille homines pro illo mortem luere vellent. Hoc adeò verum est, ut etiam Deus in suo judicio voluerit crimina nostra in Christum transferre, Es. 53.6. Iehova conjectit in illum iniurias omnium nostrum. Praeter hoc etiam necesse est, us Legislator sive supremus Dominus, cuius jurisdictioni reus obnoxius est, pœnam ab alio pro reo exanthlatam approbet. hoc etiam Deus in suo iudicio observari voluit. Heb. 10.9. Ecce adsum, ut faciam ò Deus, voluntatem tuam, & ut illam pœnam ab alio praestitam imputet reo, eumq; propter illam absolvat, atque dimittat: nisi enim hoc fiat, reliqua omnia sunt nullius momenti. Sed hac quoque in isto iudicio facta sunt. Rom. 5.9. Iustificati ipsius sanguine. Rom. 5.19. Per unius obedientiam justi constituentur multi. 1.Iohan.1.7. Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato, hoc est, Deus propter pœnam à Iesu Christo pro nobis exanthlatam, & nobis per fidem imputatam, iustificat nos. Hanc acceptilationem probat Ecclesia orthodoxa. De illa Socinistica dixi in Declaratione, pag.eadem. At verò D. Conradus vult Christum pro nobis non satifecisse, sed tanq; ostendisse nobis viam iustitiae, & sanitatis, & nos hanc eandem viam ingredi debere. Cùm verò hanc viam ingressi sumus, & serio studemus sancti-

sanctitati & obedientiae, tum sanctitatem & obedientiam nostram reputari à Deo pro perfecta legis observatione, atque ita nos justificari. Hanc esse illam acceptilationem inde constat, quod ubique in suis commentarijs docet, fidem vivam, quatenus viva fides est, pro justitia reputari. *Hanc eandem acceptilationem probat Astes Harminij.* disertè enim scribit in Thesibus, & in dissertatione de fide justificante. Fidem per gratuitam acceptilationem haberi à Deo pro perfecta legis impletione. atque hoc ipsum est, quod Harminius scribit ad Legatum Palatinum, Actum fidei, id est, rō credere nobis imputari ad justitiam, propriè acceptum, non metonymicè.

Hæc ego de utraque acceptilatione, videlicet de orthodoxa nostra, & hæretica Socinistica litteris mandavi, ut ab omnibus legerentur. Illam orthodoxam disertè approbo, & ex Scripturis confirmo, & tamen non erubescit invocato Deo teste, & in conspectu Ordinum dicere, me gratuitam Dei acceptilationem hinc (Nota) prorsus excludere; ille quidem errore 55. aliquid de hac re scribit, sed tam dilutum est quod affert, ut responsum non mereatur. Mihi non libet hanc orationem prolixius excutere. Tantum te rogo, Hugo, ut hanc orationē cum ipsius libro de Deo, & aliis scriptis, quæ annotavimus, diligenter conferas, & in timore Dei omnia, ut par est, serio expendas; quod si facies, nullus dubito, quin iudicaturus sis, à condito orbe neminem existisse, qui ad hæreses suas tegendas, Dei nomine petulantius abusus sit. res ipsa testatur, eum protervè profanasse Dei nomen, & omni metu numinis abjecto, ipsum Deum, & sacro-

sacrosanctum ipsius nomen habuisse ludibrio & contem-
ptui. Quid ni igitur dicam, illum voluisse vicarios Dei,
qui Dei loco præsidebant isti judicio, sarcasticè ridere,
& subsannare? Provoco ad omnes Theologos & Iuris-
consultos, annon ille, qui ad mendacia sua tegenda Dei
nomen in conspectu legitimi Magistratus tam temerè u-
surpat, annon, inquam, ipsum Deum, & per consequens
etiam ipsius vicarios, in quorum conspectu hoc facit, ri-
deat, subsannet, & quasi naso suspendat? Iterum dico,
me hoc loco non narrare, quid Ordines fecerint; sed re-
prehendere quod Conradus ipsum Deum & ipsius vi-
carios tantâ contumeliâ affecerit, atque hoc ipsum tam
clarè demonstravi, ut non existimem te tam prodigum
esse famæ & existimationis tuæ, ut illud post hac inficia-
ri velis. Quod dum facio, non rideo, neque subsanno
Ordines, ut tu mihi per calumniam affingis; sed dico
quid Conradus fecerit. Hoc observa, ut discas, quam in-
feliciter rhetoricatus sis, qui tua rhetoricatione conatus
es lectori persuadere, me ipsos Ordines risisse & subsan-
nasse, propterea quod ostendi Conradum id fecisse, &
quod hoc ipsius factum palam reprehendi. Qui enim
hoc Conradi factum redarguit, ille non ridet Ordines,
neque ἀρχοντας τὰς κράτους ἔπει, sed notat Conradum ad
hæreses suas tegendas sacrosanctum Dei nomen impro-
bè profanare, & per consequens etiam Magistratum, in-
cujus conspectu hoc facit, sarcasticè subsannare. Si hoc
ignoras, Hugo, disce aliud esse, facinus ab alio perpetra-
tum redarguere, & item aliud, id ipsum facinus patrare;
& simul disce, me non ridere Ordines, neque ἀρχοντας τὰς
κράτους ἔπει; sed dicere, Conradum habere Deum &
Magistra-

Magistratum suum contemptui. Repeto igitur hunc Syllogismum à me ante propositum:

Qui in conspectu legitimi Magistratus, sacrosancto Dei nomine ad suas hæreses palliandas mendaciter abutitur, ille & Dei majestatem, & legitimum suum Magistratum in cuius conspectu id facit, ridet & subsannat:

Conradus Vorstius in conspectu legitimi Magistratus sacrosancto Dei nomine ad suas hæreses palliandas mendaciter abutitur:

Ergo Conradus Vorstius ipsum Deum, & legitimum suum Magistratum ridet & subsannat.

Si Majorem hanc negaveris, non fueris dignus, qui inter Christianos nomineris. Minorem tam clare & tam evidenter probavi, fecerunt ante me Pastores Leovardienses, & doctissimi Philosophi Matthæus Sladus, & Georgius Eglisemius, ut non existimem te, quemadmodum dixi, tam prodigum esse famæ & existimationis tuæ, ut illam negare aut inficiari velis. Si tamen ejus defensionem suscipes, noli convitiari & calumniari, sed justis rationibus, quæ dixi, refelle, ut quilibet videre possit, tuné an ego verum aut falsum dixerimus? Si hæc escent occulta, aut non tangerent doctrinam, non vellem illa attingere: verum quoniam sunt publica, & in ipsorum Ordinum conspectu perpetrata; deinde quoniam ad testandam perpetuam infamiam publicis scriptis, & quidem diversâ lingua, ab ipso authore prodita, & ad hæreses regendas producta sunt; nemo, ut opinor, mihi vitio vertet, quod illa ad tua mendacia refellenda, & ad meam innocentiam ostendendam produxi. Atque hic

hic jam paululum à Conrado ad te, Hugo , mihi oratio
convertenda est. Cùm vidres te causam Conradi sine
læsione famæ & existimationis tuę defendere non posse,
deflexisti à Conrado, & impetum fecisti in Sibrandum,
& dixisti illum perpetrasse, quod ille à Conrado factum
esse dixit; & scripsisti Sibrandum Ordines Hollandiæ ri-
dere & subsannare ; perinde ac si viderem quenquam in
alterius gulam sicam intentare, clamaremque, ut homo
incautus gulam averteret, sicarijque iustum evitaret; & tu
me propterea homicidam appelles , homicidiique insi-
mules. Non potes cogitatione assequi , Hugo , quam
multi aliter, quam tu opinaris , de hac tua actione judi-
cent, & quam multorum animos hac actione abs te aba-
lienaveris? Habebant te ante pro viro moderato, & ma-
gnam spem de te fovebant ; quid nunc de te iudicent,
malo te ab aliis, quām à me cognoscere, sed de hac re tu
videris. Tantum moneo, ut recordcris istius juramenti,
quod præstabas cùm Doctor Iuris creareris, & illius, quo
te Hollandis obstringebas, cùm tibi advocatia Fisci con-
crederetur : quod si facies , intelliges te graviter delin-
quere, quod me istorum delictorum , quæ à Conrado
perpetrata esse constat, & quorum ego, cùm perpetra-
rentur, ne conscius quidem fui , quæque ego non feci,
sed ad alios deterrendos reprehendi & redargui,
reum peragis. Si in Conrado excusando nonnihil rhe-
toricatus fuisses, potuisses fortasse aliquod artis rhetori-
catoriæ diverticulum quærere. Verum q̄tia tu Conrado
præterito, in me trāfers, quod mihi nunquam in mentē
venit , & cuius ego non author, sed accusator sum, quod
que Conradum fecisse tam liquidè docui, & me propte-
rea.

rea tam sævè criminaris, odioseque exagitare, ostendis (ut nihil aliud dicam) quam sis pietatis amans. Sed de his hactenus.

Addis viros politicos etiam de quæstionibus Theologicis rectè judicare posse, & pastores Ecclesiæ in illis di-judicandis errare posse. Quis hoc nescit? Num unquam iniciati sumus, viros politicos, cujusmodi hoc nostro seculo sunt Rex Magnæ Britanniæ. Mauritius Landgravius Hassiæ. Ernestus Marchio-Badensis. Philippus Plesseus. Isaac Casaubonus. Conradus Heresbachius. Iohannes Witten, & similes, de rebus Theologicis rectè judicare posse? aut negavimusne pastores Ecclesiæ in Theologicis quæstionibus dijudicandis errare posse? Quorsum igitur hoc dicas, non video. Sed tamen urges, me voluisse, ut Theologi huic cognitioni aderent; & dicis adfuisse sex mearum partium, & sex alios. Hoc quid sit ignoro. Nullas enim partes duco, tantum profiteor, quod sacræ litteræ de hac re prodiderunt.

Addis me dicturū, illos sex posteriores esse suspectos, idque propterea quod de Prædestinatione idem sentiantur cum Conrado. Ego id dicturus eram? Vnde tu hoc sciebas? Num ego vel tibi, vel Conrado, vel illis sex postremis, vel ulli mortalium (Socinam excipio) ob doctrinam de Prædestinatione litem movi? Vis fortasse illis, qui hec non intelligant, persuadere nos ob doctrinam de Prædestinatione oppugnare Conradum? Sed longè erras, prudentibus & doctis hoc nunquam persuadebis. Nam qui non prorsus deliri sunt, sciunt nos Conradum accusare, quod de Deo, de persona & officio Christi, de satisfactione à Christo pro nobis praestata, de nostri iustificatione, &c.

L de

de fide iustificante, hoc est, de ipso fundamento salutis nostrae malè docet. Ego addo, me semper cavisce, ut Conrado de prædestinatione controversiam non moverem, ut tibi tuique similibus notum facerem, esse tantum praetextum, quicquid in Hollandia de prædestinatione jactatur, & longè aliud esse, quod agitatur.

Rilsum moves, cum dicis nos tantâ diligentia, tantâ que celeritate, ex omni orbe aucupatos esse præjudicia, ut vix quisquam esset, qui se iudicio integrum servasset. Incredibilia enim sunt hæc omnia, neque quisquam credit ea vera esse. Qui enim potuimus ex omni orbe præjudicia aucupari, qui ne quidem in omni orbe ipsi noti simus, neque in omni orbe notos aut amicos habeamus? Non igitur nos hoc facere potuimus. Qui igitur factum est, quod tam multi notarunt hæreses Conradi? Qui factum sit, quæreris? Ipsius libri exstant; impensis vero ipsius liber de Deo. Hoc libro omnes in universum Christianos palam oppugnavit, eosque omnes quasi ad certamen provocavit. Hoc libro nostros, Lutheranos, & Iesuitas in se concitavit. Iesuitæ publicis scriptis ipsum oppugnabant. nostri illum scandali vitandi causa non quidem publicè oppugnabant; ostendebat tamen privatis scriptis, quam abominabiles hæreses isto libro comprehendisset. Lutherani non ex professo, sed ex obliquo illum hæresem accusabant, nunc etiam ex professo hæresem multarum accusant. Ita factum est, ut omnes essent iarenti & stuparent, cum audiret tam multarum & fœdarum hæresem doctorem ab Hollandis ad professionem Theologicam vocari. Sub idem tempus ipsius discipuli in Frisia quasi classicum canebant, & Friesiam

sicam Scholam everttere conabantur. Quin eosque impietatis & seditionis (ut jam dixi) progrediebantur, ut librum blasphemarum hæresium plenum ederent, in eoque edendo se triplici crimine falsi obstringerent; emen- tiebantur enim falsum nomen typographi, loci, & privilegiorum. Hoc fact^o non solum Friliam, sed omnes vici- nas provincias, Westfaliam, Gelriam, Hassiam, Palatina- tum, Saxoniam, Hollandiam, Zelandiam, & totam penè transmarinam Britanniam commoverunt. Acceslerunt illorum litteræ, quibus fraudes Socinisticæ, & fraudum authores patefiebant, & omnia illorum consilia in lucem proferebantur. His tam manifestis indicijs omnes pij orthodoxique doctores commoti accurrerunt ad incendi- arium detegendum, & ad incendium restinguendum. His ijsdem de causis quædam sociæ provinciæ monuerunt Ordines Hollandiæ de periculo. Quod igitur sciibus Cum his indicijs non ad Ordines eorumque delegatos ventum, non ad illissimum Principem Mauritium, non ad Academia Curatores: sed incredibili celeritate missi in Germaniam primùm, deinde quo non! nuntij, qui Socinianismi ipsum ar- guerent, non puto verum esse. Ordines enim Frisiæ, similitatque illis de libello Franicæ edito, & de editionis authoribus constitit, litteræque interceptæ in illorum collegio (factū hoc est 9. Iulij Anno 1611.) lectæ fuerūt, decreverunt; ut litteræ accuratè descriptæ, & cum auto- graphis fideliter collatæ, una cum libello Franicæ edito- mitterentur ad Ordines Hollandiæ cum epistola moni- toria. Facti hæc sunt absque ulla mora. Verum quia Or- dines Hollandiæ nondum convenerant, omnia ut erant ob signata, à delegatis hujus provinciæ sunt remissa in

L 2. Friesiam.

Frisiam ad ipsos Ordines, qui confessim , ut esset exemplorum copia , & præmeditate de tanti momenti negotio posset tractari, indicia hæc typis curârunt excudi , & per tabellarios ad deputatos Ordinum Hollandiæ , & singulos urbium magistratus fidelissimè transmitti , non præterito etiam ipso Principe Mauritio , Tabellarij sunt missi 24. Iulij. Nihil prætermissum diligentia aut fidei. Secuta est de Ordinum Frisiæ voluntate editio cum prelatione monitoria , propter commune deceptionis periculum . Crescentibus deinde indicijs, successit altera admonitio , quæ ipsis etiam Ordinibus Hollandiæ fuit dedicata , & per delegatos hujus provinciæ exhibita, sed neque hic præteritus est Princeps Mauritius. Post hæc Jacobus magnæ Britanniæ Rex Ordines Generales per suum Legatum de periculo monuit, & istam nunquam satis laudatam censuram de hæresibus Conradi edidit. Tandem etiam mea Declaratio ipsis Ordinibus Generibus inscripta , & per delegatos hujus provinciæ exhibita est. Hæc sunt publicè acta. Hæc tu ignorare non debes , negare non potes. Itum igitur est à nobis , non in Germaniam; sed ad Ordines Hollandiæ, ad urbium magistratus, ad Principem Mauritium, ad Ordines Generales. Quā igitur conscientiā , & quā fide hæc scribas , tu videris. Aequè temerè facis, cum levitatis & temeritatis accusas illos , qui vos & Ecclesias monuerunt, ut sibi à Conradi hæresibus caverent ; ac si in his Conradisticis controversijs dijudicandis se nostro impulsi præcipitaverint , & semetipsos omni judicandi potestate orbaverint. Huc accedit, te plerosque orthodoxos pastores dooresque, quasdam etiam socias provincias , & ipsum denique .

nique magnæ Britanniæ Regem accusare temeritatis,
quod scilicet iudicium suum de Conradi hæresibus pre-
cipitaverint, & sece non servaverint iudicio integratos.
Quid hoc aliud est, quam dicere illos, qui in Conradi
hæresibus vel patefaciendis, vel refutandis laborarunt,
semelipios omni iudicandi facultate spoliaffe, neque
posse de ijsdem in futura synodo, si tamen aliqua futura
est, judicare? Erras autem si hoc putas. Nemo enim cla-
rius detexit Donatistarum & Pelagianorum hæreses, quā
Augustinus, neque illas quisquam acrius refutavit, quam
hic ipse Augustinus: & tamen Concilio Africano, in
quo utraque hæresis condemnata est, interfuit, & ut ju-
dex subscrispsit. Osius Cordubæ Episcopus graviter &
constanter oppugnavit Arrium, & tamen Niceno, Sar-
dicensi, Syrmensiq; concilio ubi Arrij causa agitata est,
interfuit, in hoc etiam fustibus ad subscriptionem com-
pulsus est ab Arrianis. ut scribit Socrates. lib. 2. cap. 26.
Sed quid ego de his tribus tantum Synodis dicam? Etsi
enim erat constans oppugnator hæreticorum; plerisque
tamen concilijs, quæ ipsius aetate cogebantur, non tan-
tum intererat, sed etiam præcerat. Scitè Attranasius in a-
pologia ad Constantium. τοιας γηρ έν καθηγήσατο συνέδεται. I.
in qua enim Synodo ille non Dux & antesignanus fuit? Alex-
ander Alexandriæ Episcopus detexit hæreses Arrij, eal-
dem acerrime infestatus est, ut scribit Theodoreetus lib.
1. cap. 2. & tamen Concilio Niceno, ubi illa hæresis judi-
cata est, interfuit, & post Osium, & legatos Romanæ sedis,
ut judex subscrispsit. Cyrillus Nestorij Hæresin refutavit,
ut narrat Evagrius lib. 1. cap. 3. & tamen Ephesino conci-
lio, in quo Nestorij hæresis damnata est, non solum inter-
L 3 fuit,

fuit, sed etiam præfuit, eique ut judex subscripsit. Hilarius oppugnavit Arrianos, & ob eam causam in exilium missus, & quod mireris, etiam exsul Seleuciano concilio, in quo de Arrianorum hæresi actum est, interfuit, ut scribit Sulpitius lib. 2. Hujus rei plura exempla sunt in proposito: sed quia tibi Historia Veteris Ecclesiæ ignota esse non potest, non volo plura addere, ne videar ligna in sylvam, ut est in proverbio. Scio in politicis judiciis aliud observari. Sed hoc non est mirum: politica enim judicia ferentur de rebus privatis, Ecclesiastica vero sunt de dogmatis, quæ omnium hominum salutem attingunt. Hæc igitur ad illorum normam flecti non debent. Addis, ^{ca-}lorem accusitorum saepe reis profuisse. Quanto autem satius faceret Iudex, si nō consideraret, quā frigidè vel calidè ageret actor; sed rectè expenderet, quam vera vel falsa sint illa, quorum reus accusatur! Tandem queris, quid in hoc judicio factum velim, quod factum non sit. Sed quorsum hoc modo rhetoriceris, non video. Quid enim promovero, si hoc dixero? Interea dicam tibi, non quid debuerit, sed quid honestè fieri potuerit. Non ignorabam ego, quænam esset forma nostræ Reipub. neque nesciebam, quidnam hisce temporibus maximè conveniret; itaque suadebam in mea Declaratione, ut hominem, præsertim cum intelligeretis eum non esse orthodoxum, ut præseferebat, & ut vos esse opinabamini, non adempto vitae subficio, dimitteretis. Hoc consilium erat moderatum, & (quicquid tu hic de rei non auditæ condemnatione in tempestivè ingeras) non iniquum. Multi politici viri judicant yestrates, si prævidissent ea secuturam fuisse, quæ deinde evenerunt, hoc consilium neutquam repudiatus.

ros.

ros fuisse. Ipse Conradus judicasset secum non iniquè actum fuisse, si ita fecissetis, quemadmodum ante ostensum est. Sed urges me, ut dem hujus pœnæ in nostra Republ. exemplum. At verò jam millies dixi, Ecclesiæ non petivisse, ut ullâ corporali pœnâ afficeretur. quid igitur de pœna & condemnatione semper ingeminas? aut quorū me urges, ut hujus pœnæ domesticum exemplum producam? Et tamen quia tantopere exemplum urges, en tibi exemplum.

Extractum ex Regesto Resolutionum Dominorum
Statuum Generalium Provinciarum Belgij. Martis.
D.iij. Septembris Anno millesimo quingentesimo
nonagesimo octavo.

Status Generales unitarum Provinciarum Belgij, informati quod penes certas duas personas hic in Haga Comitis presentes, qui nō ita pridē ex regno Poloniae discesserint, & in hæs fæderatas provincias venerint, quarū prior nominatur Christopherus Osterodus, altera Andreas Voidovius, reperti sunt quidam libri, qui in Universitate Leideni à Facultate Theologica visitati, inventi sunt, concordare cum doctrina Turcica, negantes Divinitatem Christi & Spiritus sancti, & quod dicte persona eam tempore doctrinam nō obsecrè proficienes in hæsce provincias venerint, ut eam in illas introducant, atq[ue] ita statum Ecclesia his eis magis perturbent. Volemus ergo hæsce in tempore pro conservatione honoris Dei, & commodi atq[ue] emolumenti statuum unitarum harū Provinciarum occurrere, decrevimus, ut predicti libri in praesentia duarum illarum personarum, cras ante meridiem, in camera Generalitatis comburi debant, deinde, ut dues ille predicta personæ onerari debeant, ipsisque præcisè mandari, quemadmodum præsentibus onerariur, ipsisque

ijſque mandatur, ut intra ſpacium decem dierum proximè ſequentium, ex foederatis provinijis diſcedant, ſub pœna, ſi poſtea in ijs provincijs deprehensi fuerint, arbitriariā, quæ alijs in exemplis, proper quietem Eccleſie Christi, & ſupra dictum commodum & emolumentum Statuum foederatarum provinciarum, exaltimata fuerit irrogari debere; arbitranies bene eſſe, ut provincie de hoc moneantur, iphiſque exemplum tranſmittatur arreſtationis, quæ hic preelecta fuſt, Facultatis Theologica Leidenſis ſupra ſcripte de pradicti libris, in eum finē, ne pradicta perſona in hiſ provincijs diutius toleretur, & doctrina iſta aude arceri poſſet.

Infra ſcriptum fuerat. Concordat
cum Regesto, & ſignatum erant
A. Aersens.

descriptum exemplum ex autographo concordat
cum vero ſuo originali die hodierna s.

Martij. Anno 1599.

Quod attestorego
Sculenborgius.

Hoc exemplum non potest tibi incognitum eſſe, & quia me monuisti, ut exemplum darem, ſpero te Ordines Hollandiæ moniturum eſſe, ut hoc exemplum imitatione conſequantur.

Dicis, me non velle ut doceat publicē, & addis me non habere, quod conquerar. At verò non ego ſolum, ſed omnes penè Eccleſiæ Reformatæ, quæ ſunt in Europa, habent quod conquerantur. Et ſenior non docet Leide; ſcribit tamen quæ vult, & quæ in Republ. bene conſtituta tolerari non debent. atque ita Eccleſias graviter inquietat, facitque ut multū inſirmi innumeris scandalis.

scandalis offendantur, & hostes nostris dissidijs lætentur. Criminaris quod scripsi, Conradi jurejurando fidem habitam esse. Vbi verò hoc scripsi? Non scripsi illi fidem habitam esse, sed scripsi *hoc videtur illi, apud quos dixit, satis esse.* Num potui modestius loqui? habui autem justas causas quare ita scripserim. Conradus enim gloriatur in orat. in prim. pag. hanc orationem *jussu Ordinum Hollandæ in Latinam & Belgicam* linguas versam esse. Est præterea hæc eadem oratio diversis linguis in Hollandia edita. Tu ipse scribis. pag. 14. Ordines ipsum monuisse, ut quæ defendi possent, defendere, quæ non possent, ingenuâ confessione expiatæ. Ipse Conradus gloriatur, parænes. pag. 23. se ita auditum esse, ut ijs, qui ipsum audiverunt, saltem plerisque abundè satu fecerit. Hic te ipsum judicem statuo, Hugo, annon summo jure dicere potuerim, *bac illis, qui scilicet mandarunt, ut hæc tam pulchra oratio in Latinā & Belgicam* linguam verteretur, quique admonuerunt, ut defenderet, quæ defendi possent, & quibus, ut ipse gloriatur, abundè satisfecit, Annon, inquam, summo jure dicere potuerim. *hoc videtur illi, apud quos dixit, saisis suis?* Eadem fide scribis, me dixisse, Gernettum ejusque socios parricidios Ordinibus Hollandiæ judicantibus potuisse absoluvi. Si tu me in hujusmodi mendacijs deprehensum teneres, quantos motus commoveres? Ego verò non exaggerabo hoc tuum delictum odiosè, tantum moneo, ut meam præfationem intueri velis, quod si facies, videbis me de Ordinibus Hollandiæ judicibus nihil dixisse, sed scripsisse. pag. 16. lin. 28. Gernettum non potuisse ad supplicium rapi, si hic procedendi modus in Britannia receptus & approbatus fuisset. Quæreris insuper, quidnam in hoc Ordinum

M — num.

num factō reprehendam? At verò jam sāpē dixi, mihi non esse constitutum in ea, quę Ordines fecerunt, inquire. Veruntamen quia ita vis, dicam libere, ut Fr̄isium decet. Ordines videri rectiū facturos fuisse, si illam orationem suo loco reliquissent. Quam enim afferet laudem oratio illorum iuslī in varias linguis versa, in qua tam multa exstant manifestaria perjuria? Addo, Ordines potuisse cogitare, nullum unquam hæreticum exstitisse, qui non opinatus sit se defendere posse, quæ defendebat. Ac proinde, videri rectiū facturos fuisse, si illi omni scriptione interdixissent: ita enim & ille, & nos quieti esse potuissimus. Nam dum ille scribit, & suas hæreses publicis scriptis asserit, nemo debet nobis vitio vertere, si orthodoxiam contra ipsius loidorias defendimus. Quod addunt de conscientia judice, nihil est, scire enim debent, aliquam conscientiam dici & esse errantem; & multos errare, qui tamē in conscientia sua opinantur se benè facere. Quin sunt, qui teste Filio Dei, putant se Deo gratum obsequium præstare, dum eos, qui Iesu Christo adhæret, persequuntur. Si horum conscientias interrogabis, respondebunt se quicquid agunt, ex bona conscientia agere. Alij igitur sapientes Principes & Magistratus, qui subditorum suorum quietem & incolumentem expertunt, non permittunt hæreticis in ditionibus suis, ut defendat publicis scriptis, quæ se defendere posse opinantur: sed imperant illis quietem & silentium. Hanc meam libertatem Ordines Hollandiæ in bonam partem accepturos esse spero. sed redeo ad propositum. Dixi, hoc illis apud quos dixit, videtur satis fuisse. Atque hic infero. Si hic procedendi modus in Britannia receptus fuisset, Gernettum se potuisse

enisse per perjurium ab omni pœna liberare. Idem adhuc dico. Nulum enim tam tetur facinus quis perpetrare potest, propter quod ad supplicium rapi possit, modo peccare voluerit, si hic procedēdi modus obtinebit. Quod mones, ut externa facta ab interna mentis intentione discernam, difficilē est. Qui possim enim de alienæ mentis interna intentione judicare? Notum est illud Tragici, *Iuravi lingua, mentem injuriam gerō*. Si tamen ex ipsius conceptis verbis judicandum est, juravit ex animi sui sententia. 1. se nunquam negasse immensitatem & essentialē Dei omnipræsentiam. 2. se nunquam negasse plenam satisfactionem Christi pro nobis factam. 3. Sibrandum asserere absolutam satisfactionis necessitatem. 4. Sibrandū asserere Christum luisse mortem æternam propriè sumptam. 5. Sibrandum asserere Christum ruisse in æternam & perpetuam desperationem. 6. Sibrandum gratiōsam Dei acceptilationem hinc, hoc est, à nostri receptione in gratiam, sive à gratuita nostri justificatione prorsus exclaudere. Te ipsum judicem fero, Hugo, an hæc non debeat esse interna mentis ipsius intentio? Sed confer hæc cum externis ipsius factis, quæ supra ex ipsius libro de Deo, & ex libro hæretico ab ipso Steenfordij edito, & ab ipso tantopere commendato, & cum meis scriptis, quæ supra allegavi; & judicabis à condito orbe neminem existisse qui Deum vivum, & per consequens ipsius vicarios, in quorum conspectu illa pronunciavit, magis sarcasticè riserit & subsannaverit. Sed persequar hoc argumentum paulò ulteriùs, ut de interna mentis ipsius intentione rectius judicare possis. Conradus in hac pulchra oratione dicit. pag. 40. lin. 16. *Testor coram Deo, & hoc illustri confessu*

M 2. confessu

RESPONSIO

seffū, me — in ea fide ac confessione de S. Trinitate, deque persona & officio Domini nostri Iesu Christi prorsus acquiesce-
re, cuius confessionis summa hac est. I. In una & eadem Deita-
tis essentia tres verè distinctas & noscendas religiose agnōco —
II. Dominum nostrum Iesum Christum non modo verum &
perfectè iustum hominem, sed & verum aeternumque Deum in
una & eadem persona simul esse confiteor — III. Eunam quo-
que verum & unicum mundi Servatorem, & Dei hominum q̄
Mediatorem esse credo, idque propterea potissimum, quod san-
ctissima obedientia sua, quam in vita timul & morte pro nobis
prestidit, nos peccatores Deo Patris suo plenissimè recōciliavit,
seque ipsum perfectum redēptionis p̄tium pro nobis obtulit,
atque ita divino iudicio, quo nos damnatae fuimus, pro pec-
catis omnium nostris verè plenèque satisfecit.

Si hæc verba, prout sonant, accipis, non poteris nega-
re internam animi ipsius intentionem esse, se Deum vo-
care testem in animam suam quod credat, & confiteatur.
I. In una & eadem divina essētia esse tres personas Patrē,
Filiū, & Spiritū sanctū, atque hos tres esse inter se
verè realiterque distinctos, & esse unum essentiā Deum.
II. Iesum Christum esse verū Deum & verū hominē
in una persona; secundum Deitatem ab æterno ex Patre
genitum; secundum humanitatē verò in tempore ex Ma-
ria virgine natum. III. Iesum Christum esse perfectum
nostrum Mediatorem, eumque plenè & perfectè pro pec-
catis nostris satisfisse. In hac re puto te mihi assentiri.
Nisi enim æquivocet, nō poterit negare, hanc esse inter-
nam mentis suæ intentionem. Expendamus nunc illius
externa facta, & cum hac interna mentis ipsius intentio-
ne conferamus.

In li-

In libro de Deo docet, *Deum non actu, sed potentia; non simpliciter, sed secundum quid; non per se, sed comparatur e & nostre respectu infinitum esse.* In eodem libro docet *essentia divina immensitatem inter illa, quae simpliciter adiuvata sunt, referendam esse.* Ex illa interna mentis intentione, & hoc externo facto sic colligo.

Essentia finita non potest una & eadem numero tota esse in tribus verè & realiter diversis.

Dei essentia est finita:

Ergo Dei essentia non potest una & eadem numero esse tota in tribus verè & realiter diversis.

Ad secundum quod attinet, scribit Conradus in libro de sacra Scriptura. pag. 57. lin. 17. *Nam & huius & presentis (loquitur de Iesu Christo authore Christianæ religionis) & futurae vita premia amplissima, & speciatim adoptionem divinam—qualem ipse author I. Christus adeptus est, cultores suis aperiissime promisit.* Ex hoc externo facto, & illa interna mentis ipsius intentione sic argumentor:

Qui adoptionem divinam, quem nobis promisit, adeptus est, ille nec est, nec potest noster Mediator esse.

Author Christianæ religionis Iesus Christus adeptus est divinam adoptionem, quem nobis promisit.

Ergo author Christianæ religionis Iesus Christus nec est, nec potest noster Mediator esse.

napēgys noto, Carolum Magnum propter hanc eandem hæresin convocasse Synodum Francofurtensem, in eaq; Eliphandum & Felicem propter hanc hæresin condemnasse, & ex Ecclesia Christiana exterminasse. Vide acta concilij Francofordiensis cap. 2. sed de hac re paulò post

M 3 plura

RESPONSI^O

94

plura, ubi etiam annotabimus, quomodo in Scholiis suis
hanc hæreticam sententiam excusare voluerit.

In eodem libro pag. 75. dicit illum solum esse verum
Deum, quem ipsius Christi interfectores pro vero Deo
coluerunt, conferamus hoc externum factum cum illa
interna ipsius mentis intentione in secundo articulo ex-
pressa, & colligamus in hunc modum.

Ille solus quem Christi interfectores pro vero Deo
coluerunt, est verus Deus.

Sed Iesus Christus non est ille, quem Iesu Christi in-
terfectores pro vero Deo coluerunt:

Ergo Iesus Christus non est verus Deus.

Vt hunc errorem defendat, formam quæstionis proorsus
immutat errore 13. eamque proponit in hunc modum.

An Iudæorum Deus sit verus Deus? Sed inter has duas. **Illi**
solutus quem Christi interfectores pro vero Deo coluerūt, est ve-
rūs Deus. Et. *Iudæorum Deus est solus verus Deus:* est tanta
differentia, quanta inter tenebras & lucem. **Illâ enim**
Christus negatur verus Deus esse. Nam si ille solus,
quem Christi interfectores pro vero Deo coluerunt, est
verus Deus: sequitur Christum non esse verum Deum.
Hunc enim Christi interfectores pro vero Deo non co-
luerunt. Hac rectè intellectâ, Christus non negatur esse
verus Deus. Pater enim, Filius & Spiritus Sanctus sunt
ille unus & verus Deus Iudæorum. Deinde vult ut hunc
locum non juxta Socini mentē, sed quomodo hæc ver-
ba seorsim sumpta in hoc negotio accipienda sint, acci-
piamus, quod nihil aliud est quam nugari. **Vult enim**
eum Socinistis socinisticè loqui, & vult nobis simul im-
perare, ut Socinisticis scriptis ab ipso interpolatis, con-
tra

tra mentem auctoris orthodoxum sensum affingamus. Quicunque sana mente præditus est, videt hoc postulatum esse prorsus illiberale. idem intelligit scripta Socini secundum mentem Socini accipienda esse. Stant igitur mei Commentarij, & hujusmodi Scholiis non moventur.

In libro de Deo fol. 233. lin. 6. & 237. lin. 7. dicit *Deum essentia suâ esse in cœlo, virtute in terra*. fol. 235. lin. 38. dicit *cum ratione substantia sua tantum in cœlo esse*. Conferamus etiam hoc externum factum cum interna mentis ipsius intentione, quam hoc secundo articulo expressit, & colligamus hunc Syllogismum:

Quæ naturæ tanto intervallo à se distant, ut una secundum essentiam suam non sit in terra, sed in cœlo; altera secundum essentiam suam non sit in cœlo, sed in terra, illæ non sunt ὁμοστιχῶς unitæ.

Divina & humana natura tanto intervallo (loquor de eo tempore, quo Christus in terra versabatur) à se distant, ut divina non sit in terra, sed in cœlo; humana non sit in cœlo, sed in terra.

Ergo divina & humana natura non sunt ὁμοστιχῶς unitæ.

Sed si divina & humana natura non sunt ὁμοστιχῶς unitæ, sequitur Christum non esse verum Deum & verum hominem simul in una persona.

Libro de sacra Scriptura, pag. 58. lin. 11. edidit, Iesum Christum adeptum esse eadem promissa, que alijs fecit. At vero universale promissum, quod omnibus salvandis fecit, est regeneratio cum remissione peccatorum conjuncta. Ierem. 31. 34. & Heb. 10. 16. Hoc est fædus, quod paciscar cum

cum eis, indicam legem meam in cordibus eorum, & mentibus eorum inscribam illam, & peccatorum atque iniquitatum ipsorum non recordabor amplius. Ex illo externo facto, & hac interna mentis ipsius intentione articulo secundo expressa colligamus hunc Syllogismum.

Quæcunque promissa Christus alijs omnibus salvandis fecit, eadem ipse adeptus est,

Regeneratio & remissio peccatorum sunt promissa, quæ alijs omnibus salvandis fecit.

Ergo regeneratio & remissio peccatorum sunt promissa, quæ ipse adeptus est:

At verò si ipse regeneratus & remissione peccatorum facta justificatus est, non potest noster Mediator esse.

Vt hunc errorem defendat, etiam in scholijs, errore. 77. statum quæstionis mutat. Non enim quæstio est, An & quatenus eadem nobis cum Christo præmia speranda sint? Sed queritur. An Christus eadem præmia adeptus sit, qua nobis fecit? Est enim inter has duas magna differentia. Ad illam enim rectè intellectam possimus affirmativè respondere. Ad hanc non possimus affirmativè respondere. Addit se de ijs, quæ genere eadem, h. e. similia sunt, loqui. Sed hoc effugium nodum non solvit. Liber enim Steenfordensis particulam ea, quam Conradus universaliter accipit, restringit, & limitandi causâ addit hæc verba quæ nobis fecit. h. e. quæ nobis promisit. Rectè igitur explicamus hæc promissa, de omnibus illis, quæ nobis fecit. Proinde si constat, quænam sint illa promissa, quæ Christus nobis fecit, etiam constat, quænam illa sint, quæ ipse adeptus est. Nam

Quæcunque promissa Christus nobis fecit, ea ipse adeptus

deceptus est.

Remissio peccatorū & regeneratio sunt promissa, quæ nobis fecit.

Ergo remissio peccatorum & regeneratio sunt promissa, quæ ipse adeptus est.

Majorem non poterit negare. Nam si hæc vera est, Christus adeptus est ea promissa quæ nobis fecit, certum est etiam hanc veram esse. Quæunque promissa Christus nobis fecit, ea ipse adeptus est. Minorem docet Scriptura ante allegata. Proinde si Major vera est, etiam Conclusionem veram esse est necesse. Mihi non libet plura addere. Hujusmodi enim Scholiis mei Commentarij non moventur.

In eodem libro, paginâ eâdem, lin. 21. edidit. Iesum Christum idem illud præmium, quod alijs promisi, obtinuisse. At verò in epistola ad Philippenses capite. 2. commate. 9. legimus. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, & dedit ei nomen quod est supra omne nomen. Atque hoc est illud præmium, quod author libri Christum obtinuisse dicit. Præmium verò quod sancti accipiunt, est multò minùs, & describitur his verbis Apocal. 7. 9. Stabant ante thronum & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Vnde necessariò sequitur, aut Iesum Christum detrudendum esse in numerum sanctorum; aut omnes sanctos evehendos esse ad dexteram maiestatis, ubi Christus est: nisi enim alterutrum fiat, non rectè dixeris, Christum idem illud præmium, quod nobis promisi, accepisse. Similitudo præmij concedi potest: identitas præmij nullo modo concedi potest. In eodem libro docet Christum eadem virtutis & sanitatis viâ, quam alijs monstravit, incessuisse. Ex hoc externo facto, & internâ

N. mentis

mentis ipsius intentione secundo articulo expressâ sic argumentor:

Qui eâdem virtutis & sanctitatis viâ incessit, quam nobis monstravit, ille non potest noster Mediator esse.
Christus eâde virtutis & sanctitatis viâ incessit, quam nobis monstravit.

Ergo Christus non potest noster Mediator esse.
 Ratio est certa. via enim quam nobis ostendit, est resipiscientia. Math. 3.2. *Resipiscite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Act. 2. 38. *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum,* & est, quamdiu in hac vita sumus, imperfecta. Iacob. 3.2. *In multis labimur omnes.* Rom. 7. 18. *Velle adest mihi, sed ut quod bonum est, perficiam, non assequor.* Ad hunc errorem defendendum multa dicit in Scholiis. errore 76. sed sunt meræ tergiversationes, quæ affert. Ego in meis Commentariis docui similitudinem viæ concedi posse, identitatem non posse. hoc ille arripit, & dicit h̄c de *via non specie, neque gradu, sed genere eâdem agi.* addit *similia esse genere eadem.* Sed hoc totum nihil facit ad rem. Liber enim Steenfordiensis non docet in genere, nos eâdem via incedere debere: sed hanc viam in specie definit per illa verba. *quam alijs monstravit.* Si igitur constat, quænam sit illa via, quam Christus nobis monstravit, etiam constat, quænam sit illa via, quâ Christus incessit. Sic igitur argumentor:

Quamcumque viam Christus nobis monstravit, hac ipse incessit. vel quod idem est.

Omnis via quam Christus nobis mōstravit, est illa, qua Christus incessit.

Resipiscientia est illa via, quam Christus nobis monstravit.

stravit:

Ergo resipiscētia est illa via, qua ipse Christus incessit. Simile est quod auctor libri scribit de Christo Servatore, lib. I. cap. 5. Christum omnia illa fecisse, quae nobis præcepit. Verba ejus hæc sunt: *Quoniam Dominus Iesus non solum ea omnia fecisset, quæ ceteros facere jussérat.* Vnde sic rursus argumentor:

Quicquid Christus nos facere jubet, hoc ipse fecit.

Resipiscētia est illud quod nos facere jubet.

Ergo resipiscētia est illud, quod Christus fecit.

Major est ex principiis Socini. Nam si Christus ea omnia fecit, quae nos facere jubet. Certum est ipsum fecisse quicquid nos facere jubet. Eadem ratione, si Christus eā viā incessit, quam nobis ostendit, certum est illum omni ista via incessisse, quam nobis ostendit. Minorem docet Scriptura allegata. Ergo si Major vera est, Conclusionem veram esse est necesse. Proinde ut resipiscētia est illa via, quam Christus nobis ostendit: ita resipiscētia est illa via, per quam Christus palam & in oculis omnium incessit. Hæc est illa viæ identitas, quæ sequitur ex principiis Socini. Quid igitur Conradus Quæstionem in hunc modum format. *An & quatenus nobis sit imitanda Christi sanctitas?* nihil nisi puerilis tergiversatio est. Inter has enim duas propositiones,

Christus ea via sanctitas incessit, quam nobis monstravit. Et. *Christi sanctitas est nobis imitanda.*

nulla est convenientia. Hanc enim ut veram cōcedimus illam ut falsam negamus. Ipse Conradus non ignorat authorem libri habere Christum, quod ad eslēntiam attinet, non pro Deo, sed pro homine. & ob eam causam

N. 2 inter

inter ipsius facta, quæ ante resurrectionem fecit, & nostra non admittere magnam differentiam. lib. n. 3. cap. 4. de Christo Servatore scribit. *Ex resurrectione Christi probari non posse, in Christo antequam resurgeret aliquid fuisse, quod in nobis, si eum imitati fuerimus, non sit.* Eodem lib. cap. 9. scribit Christum easdem miseras, quibus nos obnoxij sumus, obtulisse. An non hinc sequitur Christum fuisse peccatis inquinatum? peccata enim & illorum poenæ, sunt illæ miseriæ, quibus nos obnoxij sumus. Ab hac opinione non procul abest. scribit enim in eodem libro. cap. 4. Christum (os blasphemum) pro peccatis suis obtulisse. Et. ut nulla pene differentia inter Christum & nos relinqueretur. scribit in eodem capite. *Quicquid passus est Christus, nullam majorem vim per se habere potest, quam si quilibet purus homo idem passus esset.* Annon à simili dicere possit, Quicquid fecit Christus antequam moreretur, nullam majorem vim per se habere potest, quam quod quilibet purus homo fecit? Qui igitur non prorsus cæcus est, facile videt librum Steenfordensem de longè aliæ viæ identitate loqui, atque hic glossator nobis persuadere conatur. Non juvat illum, quod hæreticum librum in alienum sensum torquet. Genuina enim autoris sententia sincerè & sine simulatione, cum ex loco praesente, tū ex aliis ejusdē authoris locis candidè & fine simulatione eruenda est. Proinde si quis hæreticos libros interpolat, eosque ut per se utiles & necessarios lectori commendat, & illis, cum propterea reprehenditur, alienum sensum affingit, meritò reprehendi debet. Fraudulenter enim facit, quicunque hoc facit. Revera enim hoc operā dat, ut hæreses incautis juvenum animis instillet,

& cum

& cum illarum absurditate premitur, detorquet illos in alienum sensum, ut fraudem tegat. ac si uno eodemque labore efficere velit, ut cum haereticis sit haereticus, & ab orthodoxis habeatur pro orthodoxo.

Quod ad tertium attinet, edidit Conradus in libro de sacra Scriptura. pag. 83. lin. 12. *Deum ob nullam aliam causam curasse, ut Christus revivisceret, quam ut ea omnia confirmarentur, quæ ipsius nomine Dominus Iesus dixerat.* Conferamus hoc externum factum cum interna mentis ipsius intentione in articulo tertio expressa, & colligamus hunc Syllogismum:

Qui ob nullam aliam causam resurrexit, quām ut ea confirmaret, quæ Dei nomine dixerat, ille non resurrexit propter justificationem nostri.

Iesus Christus est ille, qui propter nullā aliam causam resurrexit, quām ut confirmaret illa vera esse, quæ Dei nomine dixerat.

Ergo Iesus Christus non resurrexit propter justificationem nostri.

Proinde falsum est, quod Apostolus scribit. Rom. 4. 15. *Traditus est in mortem propter offensas nostras, & excitatus est propter justificationem nostri.* Idem in confessione scribit. pag. 3. articulo 2. *Credo Dominum Deum pœnitentibus, & ad se ipsum convertentibus omnia peccata condonare, non acceptā pro iis plena solutione.* Ex hoc externo facto & interna mentis ipsius intentione colligamus hūc Syllogismum:

Qui docet Deum pœnitentibus & ad se convertentibus omnia peccata condonare non acceptā pro iis plena solutione, ille negat Christum pro nobis plenā.

Nostre &

RESPONSIO

nd & perfectè satisfecisse, vel saltem docet Christi satisfactionem non fuisse necessariam.

Conradus docet Deum poenitentibus — omnia peccata cōdonare non accepta pro iis plena solutione.

Ergo Conradus negat Christum verè & plenè pro nobis satisfecisse, vel saltem docet Christi satisfactionem non fuisse necessariam.

In eadem confessione pag. 8. Fieri, inquit, non potest, ut ejus modi absoluta, hoc est plena & perfecta iorius debiti nostri solutione consistat cum libera illa & munifica peccatorum condonatione, quam sacra littera passim Deo tribunnt, etiam cum de Christo, ejusque Virgo pro nobis impensa agunt. Ex hoc externo facto, & illa interna animi ipsius intentione sic colligo:

Qui docet absolutam, hoc est, plenam & perfectam totius debiti nostri solutionem cum gratuita peccatorum condonatione consistere non posse, & simul docet nobis peccata gratis condonari, ille negat Christum pro nobis absolutè, hoc est, plenè & perfectè satisfecisse.

Conradus docet absolutam, hoc est, perfectam & plenam debiti nostri solutionem cum gratuita peccatorum condonatione consistere non posse, & simul docet peccata nobis gratis remitti.

Ergo Conradus negat Christum pro nobis absolute, hoc est plenè & perfectè satisfecisse.

Idem in Antibellarmino pag. 606. scribit, fidem formam, scilicet propriè acceptam, esse integrā & perfectā nostrā justitiam. atque hanc opinionem eadem fide dicit fuisse Lutheri. An potuit sanctissimo Dei servo Martino

tino Luthero majorem injuriam facere? Ex hoc extero facto, & interna mentis ipsius intentione tertio articulo expressa colligamus hunc Syllogismum.

Qui dicit fidem nostram esse integrum & perfectam nostram justitiam, ille negat satisfactionem Christi nobis fide imputatam esse integrum & perfectam nostram justitiam.

Conradus docet fidem nostram esse integrum & perfectam nostram justitiam.

Ergo Conradus negat satisfactionem Christi fide nobis imputatam, esse integrum & perfectam nostram justitiam.

Conradus in Scholiis negat se hoc scripsisse, sed locus à me annotatus, ipsum redarguit.

Nullus esset finis, si vellem omnes hæreses hujus hominis persequi. Sed hæc sufficient ad illud probandum, quod antè dixi, videlicet, ab condito orbe non existit esse ullum hominem, qui Deum, cuius nomen ad has hæreses occultandas invocavit, & per consequens etiam Magistratum, in cuius conspectu hæc fecit, magis habuerit risui vel cōtēptui. Si hæc vel refutare, vel defendere vis, moneo ut non conviciis, neq; mendaciis, neque calumniis (nam his ista non refutantur) sed rationibus certare velis. Quam diu autem hæc justis rationibus vel refuta ta, vel defensa non sunt, non poterimus Conrado, etiam si Deum centies millies testem vocet, fidem adhibere; neque patiemur, ut nos hujusmodi orationibus, thesibus, protestationibus, responsionibus, apologijs, exegesijs, prodromis, parænesibus, scholijs, & quibus non? libris decipiat. Decepit Theologos Heidelbergenses, Decepit Comites Benethe-

themenses, sed Ecclesias Belgicas non decipiet. Qui enim tam multos decepit, illi tandem nemo fidem habet, & qui Dei nomine tam sàpè abusus est ad hæreses suas tegendas, hoc efficit, ut etiam tum, cùm verum dicit, fidem non inveniat. Hujus disciplinæ proprium est decipere. Paulus Samosatenus tam vafre & callidè hæreses suas tegebat, ut solus Malchion dissimulatorem ac subdolum hominem deprehendere & constringere potuerit. Euf. lib. 7. cap. 28. Hic homo eadē viâ incedit, tradidit enim duplē Theologiam, unam occultam, alteram manifestam. In occultis libris e.g. in tractatu de *Filiatione*, de *Satisfactione*, de *septimo capite ad Romanos*, &c spargit Socinisticas hæreses. In publicis ante aliquot annos visus est orthodoxam doctrinam defendere; sed sensim etiam publicis libris, ut *Antibellarmino*, &c. aspersit easdem hæreses; deinde edidit librum de *Deo*, quo omnibus in universum Christianis bellum indicere voluit, ac tandem eosque progressus est, ut *Socini* librum blasphemarum hæresium plenum castigaverit, multis locis auxerit, in capita distribucrit, commentariolis illustraverit, Lectori supra modum commédaverit, & Steenfordij excudi curaverit; & quod omnium foedissimum est, hunc impium & blasphemum librum pro orthodoxo, utili, & hisce temporibus necessario libro venditat. præfatione pag. 2. lin. 4. Quem, inquit, librum *Socini*, (quem ipsi Socinistæ confitetur esse tacitam cœrayayn ad illam veritatem, h.e. hæresin, quam ipsorum cœtus confidentur) etiam sanctum & per se laudabilem esse nemo vera pietatis studiofus unquam negabit. Ipsiā discipuli ab ipso, an ab alio, cui omnes illi multum debent, edocti scribunt epistolā quartā. Nōs.

tā. Nos pro ingeniorum diversitate, quosdam lacte diu alamus, alijs solidiorem cibum maturius præbeamus, alios rectā, & apertè, alios per cuniculos aggrediamur; cum quibusdam agamus planè & nihil dissimulatè, seu rotunda (quod aiunt) phrasī: apud alios autem receptas loquendi formulas adhibitā commoda interpretatione in bonum sensum trahamus, ut vel ne scientes verum discant, nec uovitatis specie ab ipso limine repellantur. Doctissimus vir Hermannus Ravensbergerus mihi scripsit sibi adfuisse Reinoldum à Rezzen Socinianum, & persuadere voluisse, licitum omnino & Christianæ charitati nequaquam contrarium esse, in negotio Religionis simulatione & dissimulatione uti, iisdemq; modis & mediis plures lucrifacere. Thesin hanc suam confirmare volebat exemplo vel facto Christi, ut enim Christus, aiebat, duobus discipulis Emauntem proficiscentibus, oculos detinuit, ne eum agnoscerent, sed se viatorem simulavit. Luc. 24. ita Christiani rectè agunt, si populi oculos aliquantisper detinent, & ambiguo verborum involucro omnia ad caput aliorum exprimunt; licet diversum tamen de illis à sensu rulgi intus teneant. Item dicebat, Sicut Christus se non manifestavit, usquedum appropinquasset oportunum illud tempus vespertinum in diversorio; ita plane latere nos decet, quo ad major occasio & oportuna vespera commodo & recepto quodam loco appareat. His rationibus, exemplis & testimoniis edocet Ecclesiæ Belgicæ Conrado fidei non habebunt; nisi vel palam defendat hæreses suas, & sese cum fratribus palam conjungat; aut eas palam & sine circuitione revocet, patiaturque sibi tales conditiones præscribi, quæ ipsum, ne in easdem hæreses relabatur, retineant, & Ecclesiam præmuniant, ut non necessè sit posthaç cum humectatis.

O jusmodi

jusmodi monstris conflictari. Quod dicis, Ordines Hollandiae etiam si bonitate naturae in leniorem sententiam inclinassent, non tamen propterea Socinianos censendos fuisse. quorū dicas, nescio. Nemo enim, quod ego sciam, Ordines Hollandiae Socinianismi insimulavit. Quin credimus verum esse quod scribis, Ordines Hollandiae unanimi consensu Socinianismum, & alias omnes damnatas hæreses detestari, neque velle ut in Academia Ecclesiis-vé Hollandicis doceantur & propagentur. Deus omnipotens faciat, ut & illi & illorum successores in ea sententia maneant. Verum, mi homo, si Ordines ita sunt affecti, facile effeceris apud illos, ut non patiantur Leide doceri. I. Fidem per gratuitam acceptationem haberi à Deo pro perfecta legis iustitia. II. Iustificationem esse universale affectionem fidei. III. Nos qualitate nobis inherentे iustificari. IV. Sanctos esse proprium subjectum & socios, vel quod idem est, & socios esse propriam affectionem sanctorū. V. Fidei actum rō credere propriè & non metonymicè acceptum à Deo pro iustitia reputari. Hæc enim, ut ipse vides, & ego suprà demonstravi, sunt Socinistica monstra, in nulla reformata Ecclesia Scholavé toleranda. Quia enim hæc monstra juventuti vestræ, quæ ad ministerium Ecclesiæ, & gubernationem Republicæ educatur, instillantur, facile vides, qualem Ecclesiam Rempublicam post paucos annos in Hollandia sitis habituri. Deinde si Ecclesiæ vident, Ordines serio agere, ut hæ hæreses ex Academia Ecclesiisqué Hollandicis exterminentur, sperandum est, ut tandem rursus coalescant, & omnibus dissidiis litibusque sepositis, idem velint, sentiant & loquantur.

Tandem

Tandem accedis ad alteram partem, & dicis me quidem occulte in præfatione; sed in fine libri & aliis prioribus scriptis aperte docere, *hanc inquisitionem de Vorstio propterea à me factam esse*, quod Ordines Hollandiæ judicarunt illos ministros tolerari posse, qui à me in doctrina de prædestinatione dissentunt. At verò hujus rei in præfatione ne memini quidem. In fine libri defendo meas Theses, sed ineptè & petulanter à Conrado flagellatas: de Ordinum verò judicio ne unum quidem verbū facio; tantum abest, ut vel oppugnem, vel impugnem quid illi judicaverint. In Declaratione edidi has easdem Theses, & in alio sententiam Socini de Prædestinatione refutavi; sed neque in hoc, neque in illis attigi Ordinum de illis mutuò tolerandis judicium; multò minus ostendi, mihi illorum judicium improbari; ut mirari satis nequeam, quā potueris tuæ conscientię tantam vim facere, ut illud de me scripseris. Semper dedi operam, ut nemini de Prædestinatione litem moverem, & amicis, quos habeo in Hollandia, suasi, ut idem facerent. Longo enim tempore vidi, quæstionem de Prædestinatione tantum esse prætextum. Nam quemadmodum Sylvanus & Neisserus sepe opponebant Oleviano in controversia de disciplina, ut Arrianismum in Palatinatum introducerent: ita Academicī vestrates arripuerunt controversiam de Prædestinatione, ut sub illo prætextu Socinianismum in Hollandicas Ecclesiās introduceret. Nos hoc ante quinque aut sex annos vidimus & diximus; sed nemo fidem adhibere voluit. Nunc autem, proh dolor, res adeò manifesta est, ut præter unum Hugonem vix quisquam sit, qui non videat. Huc accedit, me hactenus ab istis Bata-

O 2

vicis

vicis controverſijs datā operā abstinuisse. Et tu ſcilicet ſacerdos iuſtitię ſcribis me prop̄ crea in Conradi doctri- nam inquirere, quod ægrē feram Ordines Hollandię ju- dicasse, illos, qui à me in doctrina de p̄deſtinatione diſ- ſentient, tollerari debere!

Priusquam progrediar, explicabo, An & quatenus
ērēpōdožo à magistratu tolerari debeant? In hac autem de- liberatione diligenter considerandum est pio & pruden- ti magistratui, non tantum quid facere debeat, ſed etiam quid poſſit. Incidunt enim ſæpe tempora, ut quod nulla ratione facere debet, tolerare cogatur. Veritas igitur, Caritas, & prudētia hoc conſilium moderari debent. Veritas, ut teſtatum faciat, ſe falsam doctriṇam etiam tum, cum eam tolerat, improbare. Caritas, ut totius multitudinis ſaluti conſulat, omnibusque viribus con- tendat illos, qui aberrarunt, in viam reducere. Prudentia, ne nimia indulgentia illos, qui aberrarunt, in errore con- firmet, aut p̄eþoſteſta ſeveritate ab indaganda veritatis via abſterreat. Deinde diſtinguere debet inter credendi libertatem, & falsæ doctriṇæ profitendæ licentiam. Illam nemini eripere poſteſt. Nulla enim humana potentia vel unius hominis volūtatem mutaverit. Merito igitur ſtultiæ, quæ plerumq; tyraṇnidis magistra eſt, accuſantur, qui homini, ut hoc vel illud credat, imperare conantur. Fides enim non cogitur, ſed ſuadetur. Hanc, ſi ulla ratio- one poſteſt, prohibere & inhibere debet. Saltem non de- bet illos qui falsam doctriṇam profitentur, ullius bene- ficij conſeſſione in errore cōfirmare, neque alios ad eos- dem errores quaſi allicere. Post hæc conſiderabit, an illi, qui diuersam doctriṇam ſectantur, ſe dociles, an contu- maces

maces esse ostendant; Illi leniter erudiendi, hi acrius monendi sunt. Postremò distinguet inter eos, qui contumaces sunt. Sunt enim qui suos errores pertinaciter tuerentur, sed alijs nocere non contendunt: sunt etiam qui omnem operam navant, ut alios ijsdem errorum cōtagijs inficiant. Cum illis mitius agendum; cum his durius præsertim si religionis fundamentum convellere conantur. Ratio hujus rei est manifesta. Nam cum diversum de articulis fidei publicè docetur, Ecclesia in partes scinditur; Ecclesiæ verò distractionem necessariò sequitur Reip. distractio, quæ quam sit pernitirosa, in mea ad Archiepiscopum præfatione ostendi.

Quod ego hic de tolerandis Heterodoxis scribo, id puto ab omnibus Ecclesiarum Belgicarum pastoribus unanimi consensu approbari: Et tamen non satisfacimus tibi, Hugo. neque hoc est mirum. Non enim in quæstiōnem venit, An tolerandus sit, qui diversum credit? neq;
controversum est, An quis per vim ad fidem cogi debeat? Nemo enim nisi stultus aut illud negaverit, aut hoc affirmaverit. Sed longe aliud est ob quod contendimus. Quidnam illud est? Quæris? Disputamus, An homo multarum hæresium manifestus ad docendam Theologiam per publicam auctoritatem in Academia Leidensi collocari debeat? Itemque, An homo multarum hæresium manifestus publico stipendio ali debeat, ut suas hæreses publicis scriptis longe laterq; disseminet, & orthodoxam doctrinam à multis annis in Ecclesijs Belgicis prædicatam publicis scriptis insegetetur? Hoc nos negamus fieri debere. Et quia erubisti hujus affirmativam in hac doctrinæ luce asserere, mutas statum Controversiæ,

O 3 & quæris

& quæris, An in rebus adiaphoris & ad salutem non necessariò pertinentibus nos mutuò ferrè debeamus? Atq; hujus affirmativam, quam nemo orthodoxorum negat, inepta rhetoricatione persuadere, & simul magistratum civilem in fidos Ecclesiarum pastores, quos negativam tueri fingis, commovere conaris. Ego ad hanc tuam rhetoricationem nihil aliud respondeo, quam Deum vivere, & hanc injuriam, quam Ecclesijs Belgicis, illarumque pastoribus facis, non neglecturum esse.

Porro, ut ego me his controversijs hactenus non admiscui, ita me illis adhuc admiscere nolo. Si quemadmodum Conradus fecit, meam doctrinam oppugnasset, imposuisses mihi necessitatem illius defendendæ: hoc autem quoniam non fecisti, ego hanc partem intaetam prætereo. Tantum ~~magistratus~~ moneo, te (quod etiam ante dixi) optimo viro Philippo Melanchthoni injuriam facere, quod eum pro Remonstrantibus stare dicis. Addo, te esse admodum infelicem in Patrum scriptis allegādis; sed hoc fortasse ab alio declarabitur. Ego ad ea quæ relevant, pergo.

Tertiam partem ordiris à mei criminazione, & dicis me non solum Ordines Hollandiæ: sed etiam Generales Ordines accusare, quod non permittant, ut Synodus in his rebus judicet. Tantum autem abest, ut hoc fecerim, ut me hisce Batavicis controversijs nunquam admiscere voluerim. Hoc possum affirmare, quod in utraque præfatione, & in omnibus meis libris, qui in lucē editi sunt, nunquam istorum (quod sciam) quinque articulorum meminerim. In præfatione libri de Christo servatore ne quidem Synodi mentionem feci. In præfatione Declarationis,

tationis, & in ipsa declaratione non accusavi Ordines, quod Synodus non convocârunt; sed supplex petij, ut eam convocarent. In præfatione commentariorum ad errores Conradi idem supplex petij, & hoc meum factū aliorum exemplis defendi. Sed suppliciter petere aliquid ab Ordinibus, non est idem quod Ordines accusare. Deinde non petij, ut Synodus convocarent ad illos quinque articulos Batavicos dijudicandos. Nam horum articulorum, ut jam sœpe dixi, ne memini quidem.

Mirari igitur satis nequeo, quod hæc scribere non erubueris; præsertim cum mei libri exstent, qui calumniā, quam mihi aspergere cupis, refellant, & contrarium ostendant. In eadem parte scribis. me Ordines accusare, quod cum sint dogmatum Christianæ doctrinæ imperiti, de illis tamen judicium sibi arrogant, *perinde ac si cœcus de coloribus* rectè judicare possit. Egoverò tota illa præfatione libri de Christo Servatore, ex qua hæc verba de prompsisti, neque Ordinum, neque articulorum Batavorum, neque Conradi unquam memini, ut qui eo tempore, quo illam præfationem scribebam, prorsus nesciebam, an Remonstrantes de his quinque articulis litem moturi essent; multò minus sciebam, me cum Conrado ob Socinismum publicis scriptis concertaturum esse. Possem uno verbo respondere, te in manifestis mendacij deprehensum teneri; sed nolo ita agere. tantum rogo, ut meam responcionem libro de Christo Servatore præfixam perlegere velis, quod si facies, agnosces errorē tuum. Si haberes alium adversarium, metuendum esset, ut te tractaret pro merito, sed ego non sum vindictæ cupidus. Tantum rogo, ut candidè & sine simulatione significare

RESPONSIO

significare velis, quî fiat, quod illa in meis præfationibus legere possis, quæ ego nunquam scripsi, & quæ mihi nunquam in mentem venerunt, & quæ nullus mortaliū in illis legere potest? Et vice versa. quî fiat, quod illa, quæ Conradus in suis libris scripsit, & quæ non tantum ego, sed omnes pene Christiani, Germani, Britanni, Galli, Helvetii, Poloni, Dani, Sabaudi, Belgæ, &c. in illis legūt, quæque nos notatis paginis & lineis ex illis describinus, & aliis legenda afferimus, tu solus in illis, neque legere, neque videre possis? vel quî fiat, quod tu solus de illis, quæ nos tam evidenter docemus in ipsius libris posita esse, dubites?

Post hæc accusas me mutatæ sententiæ, sed injustè. quæ enim de hac re in libris meis de Papa, de Conciliis, & de Ecclesia scripsi, habent autoritatem in Dei verbo, & orthodoxa antiquitate; neque ulla causa est, quare ab illis recedam, aut sententiam mutem. Idem igitur quod ante multos annos in illis libris docui, adhuc doceo, neque vel latum pilum ab illis discedo. Hoc ad illam calumniam refutandam sufficit, nunc ad cœtera pergamus.

His igitur ita explicatis, inquiramus quid & quantum juris habeat Magistratus civilis in judiciis de rebus fidei? Crediderim te, & ante Vtenbogardum hanc questionem movisse, ut nos Magistratibus civilibus exos redderetis, illisque persuaderetis, nos non tribuere Magistrati civili illam potentiam in rebus Ecclesiasticis, quæ illis debetur, ut illorum animos à nobis, & à doctrina orthodoxa, quam profitemur, averteretis. Sed Deus, ut spero, hanc actionem ad alium finem diriget. Ut ut sit, ego sincerè & breviter Ecclesiarum nostrarum sententiam

tiam explicabo, eamque Magistratum civilium, & imprimis Magnæ Britanniæ Regis, Principis Palatini Eleotoris, Lantgravij Hassiæ, Marchionis Badensis, atque adeo omnium reformatorum. Principum & Magistratuū judicio submittam. Veritas enim non fugit lucem, neque horret judicium. Tantum abs te peto, Christiane Lector, ut benignè me audias, & non judiccs priusquam totum tractatum perlegeris.

Primùm igitur dico, Magistratum politicum non esse de essentia Ecclesiæ Christianæ. Tempore enim Iesu Christi in terra versantis, tempore Apostolorum, & post illorum ætatem, Cæsar Augustus, Tiberius, Caligula, Domitianus, & alij Imperatores, eorumque Præsides, ut Pilatus, Felix, Festus, & alii in Iudæa & extra eam gubernantes Rempb. Christum non solum non agnoscebant; sed hostiliter persequebantur, & toti in eo erant, ut ipsius nomen funditus tollerent, eosque qui Iesu Christi nomen invocabant, radicitus exterminarent. Neque eo tempore, quod quidem sciamus, ullus suprēmus Magistratus fuit, qui Christo nomen dederit; neque tamen propterea Ecclesia esse desiit: quin fuerunt olim etiam, cùn Ethnici Rempb. administrarent, florentissimæ Ecclesiæ. Ac licet quidam Imperatores adeò savirent in eos, qui Iesu Christo adhærebant, ut Christiani se in sylvis, cryptis, & speluncis abdere & occultare cogerentur; & quia nusquam apparebant, Tyrannus gloriaretur se Christi nomen funditus extirpasse: Ecclesiæ tamen ab illis prorsus tolli non potuerūt; simulatque enim persecutiōnes cessabant, innumeri Christiani apparebant. Intrepidè igitur pronuncio Magistratum politicum non
P esse

esse de Ecclesiæ essentia. Cùm verò nullus esset Christianus Magistratus, ipsa Ecclesia habuit jus & potestatem constituendi pastores, presbyteros, Diaconos, h.e. ministros Ecclesiæ. Acto. 1.23. Statuerunt duos, Iosephum, qui nominatur Barzabas, qui cognominatus est justus, & Matthiam. — & orantes dixerunt. — Tu Domine, qui corda nostri omnium, ostende utrum elegeris ex his duobus, ut accipias sortem ministerij & Apostolatus à quo aberravit Iudas, ut iret in locum suum. Posuerunt igitur sortes eorum, & cecidit fors super Matthiam, qui communibus calculis additus est undecim Apostolus, Actorum 6.2. Advocatam multitudine discipulorum dixerunt — Dispicite ergo fratres ex vobis vires septem idoneo testimonio ornatos, plenos spiritu sancto & sapientia, quos præficiatis huic negotio — placuit hac oratio coram tota multitudine, itaque elegerunt Stephanum, &c. — quos statuerunt coram Apostolis, qui cùm orassent, imposuerunt eis manus. Act. 14.23. Paulus & Barnabas ipsis per suffragia crearunt per singulas Ecclesiæ presbyteros. 1. Tim. 4.14. Ne negligenter quod in te est, donum, quod datum est tibi ad prophecandum cum impositione manuum presbyterij. Tit. 1.5. Huius rei gratia reliqui te in Creta, — ut constitutas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi injunxi. His eisdem temporibus Ecclesia habuit jus & potestatem cognoscendi & dijudicandi controversias de fide exortas. Act. 15.2. Orta discepulatione ac seditione non exigua Paulo ac Barnabe adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apostolos & Presbyteros Hierosolymam, perconsaturos de hac questione. Illi ergo missi ab Ecclesia — cùm adfuissent in Hierusalem, accepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & à presbyteris — Quidam surrexerunt è secta Pharisaorum,

orum, qui crediderant, dicentes quod oportet circumcidere eos,
ac mandantes servare legem Moysis. Coacti igitur sunt Apo-
stoli & presbyteri ut despiciant de hoc negotio. Hoc jus & po-
testatem eligendi constituendique ministros, & discer-
nendi dijudicandiisque controversias de fide in Ecclesia
motas, retinuit & usurpavit Ecclesia usque dum Impera-
tores ad Christi religionem converterentur; utrumque
hoc notius est, quam ut probari debeat. Cum verò Ma-
gistratus Christi fidem amplecterentur, & summi Impe-
ratores sese ad Ecclesiam adjungerent, arbitrati sunt sui
muneris esse etiam Ecclesię pastores suo imperio regere,
& dare operam, ut verbum Dei pure prædicaretur, Sa-
cramenta ritè administrarentur, falsa doctrina arceretur,
& ut omnia decenter & ornatae in Ecclesia fierent. So-
crates libro 5. in proemio. Ex illo tempore, quo Imperatores
cuperunt esse Christiani, Ecclesia negotia ex eorum nutu pen-
dere visa sunt: atque adeò maxima concilia de eorundem sen-
tientia & convocata fuerunt, & adhuc convocantur. Hac in
re secuti sunt exemplum optimorum & sanctissimorum
Regum, Davidis, Ezechiae, Iosiae, & aliorum. Omnes
sancti Patres Græci & Latini, omnes itē orthodoxi Theo-
logi, qui Augustanam, Britannicam, Gallicam, Helveti-
cam & Belgicam confessiones sequuntur, unanimi con-
sensu docent, Magistratum Christianum esse custodem
utriusque tabulae, & ob eam causam operam dare debe-
re, ut Dei cultus ad primam tabulam congruat, & ut sub-
diti juxta secundam tabulam decenter & honestè vivant,
defendatque illos, qui Deum ritè & primæ tabulæ con-
gruenter honorant, & civilem honestatem juxta secun-
dam tabulam colunt & observant: & ē contrario eos co-
erceat,

P 2

ercent, qui Dei cultum profanant, & proximum sequent
ipsos contra Dei legem violant. Verum hic variæ mo-
ventur quæstiones; quidam enim omnis superioritatis
impatientes, non volunt illis tribuere, quod ipsorum est;
alii sese in plusquam servilem adulationem projicientes,
quidlibet etiam quod ipsorum non est, illis attribuunt,
non quod tantoperè cupiant Magistratui; sed quia sunt
ambitiosi, & regnandi cupidi; sperant hoc prætextu aut
occasione magnam dominationis partem in se derivatū
iri. Accidit etiam ut inquieti & turbulenti homines,
cùm vident se non posse in Ecclesia pro libitu dominari,
moveant rixas de jure & potestate Magistratum, ut ho-
rum iram in illos, qui Magistribus, quod ad illos non
pertinet, tribuere recusant, commovcant, atque impetu
potentiâque Magistrarum obtineant, quod jure & le-
gibus in verbo Dei expressis obtainere non possunt. Ex
harum quæstionum numero annon illæ sint, quæ nobis
hoc seculo moventur, tibi Christiane Lector, judicandū
relinquo. sed redeo ad propositum, & dico Ecclesiam
duum jus & potestatem eligendi ministros, & dijudican-
di controversias de fide motas, non perdidisse per Impe-
ratorum conversionem, neque Christianos Imperatores
Ecclesiam hoc jure & potestate spoliaisse. Constantinus
enim Magnus, qui primus Christianus Imperator fuit,
ob controversiam ab Arrio de Filio Dei motam convo-
cavit Synodum Nicenam, & Episcopis in ista Synodo
congregatis de ista quæstione judicandi potestatem reli-
quit. In hac Synodo, in præsentia Imperatoris statutum
est, ut in qualibet provincia quotannis bis convocetur
Episcoporum concilium ad quæstiones quæ incidunt de-
cidendas. Canone quinto. Quod item statutum est ca-
none

none Apost. 37. & in Synodo Antiochena canone. 20. Ducenti & septendecim Patres Carthagine congregati, tempore Theodosij & Honorii idem definierunt. can. 18. & 96. ut nihil certius sit, quam Ecclesiam hoc jus sub primis christianis Imperatoribus retinuisse integrum, & Constantimum Magnum, Honorium, Theodosium, & alios sanctos Imperatores Ecclesijs hoc jus non tantum non eripuisse, sed etiam suâ authoritate approbasse & confirmasse. Quod ad ministrorum electionem attinet, eam docet Cyprianus Epistola 55. ad Cornelium, *per populi suffragium fieri debere*. Deinde trecenti octodecim Patres Nicææ congregati iu præsentia Imperatoris Constantini, vel potius approbante Imperatore, scribunt ad Episcopos Ægypti, &c. *ut jus sit ante recepis, si digni visi fuerint, & àδ λαὸς λαgoīτο, si popnlus elegerit, in locum mortui succedere*. Theodoret. lib. 1. cap. 9. sed de hac re paulò post plenius. Nunc satis est ostendisse, Christianos Imperatores non spoliasse Ecclesiā jure elegendi ministros, aut judicandi de rebus fidei; neque Ecclesiam hoc jure per Imperatorum conversionem excidisse. At inquires, si Imperator non habet absolutam potestarem judicandi de rebus fidei, neque habet absolutam potestatem eligendi & vocādi pastores sive ministros Ecclesiæ; dic mihi quousque se ipsius jus & potestas extendat? Resp. supremum Magistratum vel solum, vel cum Ordinum consensu posse in politia novas leges forenses cōdere, antiquas abrogare, easque vel exasperare, vel mitigare. Hæc est vera causa, quare in diversis regnis provinciisque sint diversæ leges; & soepe diversum jus in diversis locis obtineat. In rebus verò fidei, est alligatus Dei verbo. Ios. 1.8. *Non recedes ille liber legis ab ore tuo, sed mediteris in eo die*

¶ nocte, ut custodias & facias secundum omne quod scriptum est in eo. Deut. 17.18. Cum autem foderis super solium regni sui, scribet sibi literasam legem hanc in libro, à conspectu Sacerdotum Levitarum, erit q̄ apud illum, & leges in eo omnibus diebus vita sua, ut discat timere lehovam Deum suum, ut custodias omnia verba legis hujus, & statuta hec, ut facias illa. Hanc ob causam non potest subditis suis aliud verbum præscribere, quam Filius Dei per Prophetas & Apostolos scribi curavit; neque alia Sacra menta instituere, quam ipse Filius Dei instituit. Si hac in re peccat, & vel aliud verbum præscribit, ut Turca, vel alia Sacra menta proponit, ut Papa, & qui eum sequuntur; tenenda est illa regula. Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Sed si supremus Magistratus externum verbum & sacramenta retinet. An tum quidlibet pro suo arbitrio Ecclesijs in rebus fidei præscribere potest? Nullo modo. Non enim potest veteres articulos fidei abrogare, neque novos cōdere. Si hac in re exorbitaverit, rursus tenenda est illa regula, quam modo posui. Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Hoc modo fecerunt sancti martyres in prisca & recenti Ecclesia; maluerunt enim vitam profundere, quam veritatem in Dei verbo revelatam abnegare. Quam igitur, inquis, potestatem & jus habet Magistratus in rebus fidei? Respondeo quod ante multos annos respondi. Regis munus in V. T. fuisse, Dei cultum integrum custodiare; & cum, cum collapsus esset, juxta legem scriptam instaurare; & hoc ipsum ad illos, quatenus Reges sunt, pertinuisse. Iosias enim & Ezechias nec propheta, nec sacerdotes fuerunt; & tandem collapsum Dei cultum ad normam legis instaurarunt. Manifestum igitur est eos, non ut sacerdotes, nec ut Prophetas, sed ut

ut Reges hoc fecisse: unde necessariò sequitur, & Regum N.T.
quatenus tales sunt, munus esse, Dei cultum juxta Scripturam
sacram integrum custodire, & cum collapsu est, ad Scripture
normam instaurare. Addo Reges cum hoc faciunt, non inge-
rere se in illa, qua sunt aliorum. Proprium enim Regis munus
est, videlicet Dei cultus juxta legem scriptam custodizatur, &
ut sacerdotes Deum secundum legem scriptam colant, & cum
cultus Dei à lege scripta recedit, debere Regem eum ad legem
scriptam reducere, & sacerdotes adigere, ut Deum secundum
legem scriptam colendum doceant. Ratio hujus rei est, quod
Rex est custos legis divinae. Quia vero illius custos est, debet
diligenter observare, ut lex integra retinetur, & ut cultus
secundum legem Dei fiat. Et contra, cum vides Sacerdotes à le-
ge deflectere, & populum non docere juxta legem, debet cultum
Dei ad legis prescriptum reducere, & Sacerdotes cogere, ut
verbum Dei rectè doceant, ut ipsi Deum juxta legis normam
colant, & populum ut idem facias, doceant. Hanc meam re-
sponsionem in tua invectiva probas. Ipse igitur vides,
quid Christianus Magistratus facere debeat istis pastori-
bus doctoribusque, qui editis libris docent, Deum non
actu, sed potentia, non simpliciter, sed secundum quid; non per
se, sed comparativè & nostri respectu, hoc est, per accidens insi-
natum esse. Et, infinitatem Dei inter ea, que simpliciter & dū-
cata sunt, referendum esse. Et, Iesum Christum accepisse di-
vinam adoptionem quam nobis promisit. Et, Filium Dei
ante mortem fuisse mortalem doctorem; & post resurrectionem
constitutum esse Regem perpetuum, ac Dominum & principem
caelestem. Et, Deum nullam aliam ob causam refuscitasse Ie-
sum Christum, quam ut illa confirmaret, qua Dominus Iesus
Dei nomine dixerat. Et, Deum nobis nostra peccata condona-

863

re, nullā acceptā pro ijs plena solutione. Et, fidem esse perfe-
ctam & integrā nostrā justitiam, quā nos justificamur.
Et, fidei actum, rō credere propriē, non metonymicē acceptam
reputari pro justitia. Et, nos qualitate nobis inhārente justi-
ficari. Et, justificationem esse universalem affectionem fidei.
Et, Sancto eſe proprium ſubjectum rīs & auctoritas, vel quod
idem eſt, rīs & auctoritas eſe propriam affectionem sancto-
rum: Et quia gloriaris te eſſe advocationum Fisci, vide an-
non tui officij ſit, Magistratum hic ſui muneris admo-
nere? Qui hæc ut par eſt, expendet, videbit nos non a-
dimere Magistrati judicium de rebus fidei. Qui poffit
enim curare, ut verbum Dei ritē & incorruptē prædice-
tur, niſi judicet, quid Deus in ſuo verbo docuerit, illud-
que diſcernat ab eo, quod Deus in verbo ſuo nec docuit,
nec mandavit? Nemo opinetur, me dum hoc jus Magi-
ſtrati afferro, detrahere Ecclesiæ ejusq; pastoribus, quod
ad Eccleſiam ejusque pastores pertinet. Horum enim
proprium munus eſt Matth. 28. 20. rectē docere, Tit. 1. 9.
contradicentes redarguere, Act. 15. 6. &c de aliorum doctrina
judicare. Facultas igitur & jus judicandi de doctrina il-
lis eripi non potest. At inquires, quomodo ista duo co-
hærent? aut quomodo hoc ipsum, quod Magistratus eſt,
non tribuitur pastoribus? aut quod pastorum eſt, non
tribuitur Magistratibus? Respondeo, Regis eſſe curare
ut omnia rectē & legitimē fiant, non tantū in politia;
ſed etiam in Eccleſia. Verū dum politiam administrat,
ipſe non immediate omnia pro libitu ſuo facit; ſed vel
ipſe, vel illi ad quos hoc jus pertinet, conſtituunt viros
idoneos, & juris peritos, per quos ius dicat. hos iureru-
rando aſtrigit, ut omnibus & singulis ius æqualiter di-
cant.

cant, eosque quam diu hoc faciunt, protegit & defendit; eosdemque si hac in re scientes volentesque deliquerint, & vel propter munera, vel propter aliam aliquam causam jus cuiquam perverterint, publicâ authoritate coerct. Cùm contra hanc omnium Rerumpubl. fundamentalem regulam faceret Rex Philippus, & per Al- banum omnia ad se traheret, universæ Belgicæ provin- ciæ penè eversæ fuerunt. Plane eodem modo dum prin- ceps Ecclesiam gubernat, non omnia immediate, prout libido fert, facere debet; sed efficit, ut illi ad quos hoc jus pertinet, constituunt viros idoneos, & Theologiæ peritos, qui populum Dei verbum rectè doceant, sa- cramenta ritè administrent, & disciplinam Ecclesiasticam juxta Dei verbum stringant; defenditque & tuetur eos, quam diu suo munere rectè funguntur; eosdem severè coerct, si vel verbum falsâ doctrinâ adulterant, aut sa- cramenta idolatricis ritibus contaminant, aut denique disciplinam in tyrannidem, aut conscientiam carni- ficiam commutant. Hoc modo prisci Imperatores Ec- clesiam gubernarunt. Constantinus enim Magnus Epi- scopis reliquit jus & potestatem docendi verbum Dei, administrandi Sacra menta, & exercendi disciplinam. De verbi prædicatione & Sacra mentorum administratione nemo dubitat. Tantum quæstio movetur de disciplina, sive judicio Ecclesiastico. Ante Constantini ætatem in singulis provinciis bis quotannis togebatur Synodus E- piscoporum ad controversias Ecclesiasticas dirimendas, can. Apost. 37. Διτερον τέττας σύνοδος γινεται τη εποχή περι της θεοφάνειας, καὶ ταχινέτων αλληλοις τὰ δέγματα της θεοφάνειας, καὶ τὰς επικατέστας ἐκλη- σιαστὰς αὐτοὶ οὐδείς διαλύεται. Hanclaudabilem consuetu-
dinem



dinem Imperator Constantinus Magnus suā authoritate comprobavit. In Synodo enim Nicena, cui ipse præsedidit, hic canon in conspectu Imperatoris, hoc est, suffragante ipso Imperatore repetitus, vel denuō promulgatus est. Iva δου, habet canon quintus, τῷδε τὸ πρέπεσταν ἐξέτασιν λαμβάνη, καλῶς ἔχειν ἐδοξεν ἐκάστη καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν διετέταξεν συνόδος γένεσαι, οὐαὶ τοῖν τοιαῦτην τὴν ποιούσαν τὴν επαρχίαν θητοῦ αὐτὸς συναγομένων τὰ τοιαῦτα γενήματα ἀξετάζωται. Sequentibus temporibus eadem consuetudo obtinuit. can. Antiochen. 20. Διὰ τὰς ἐκκλησιασικὰς χρείας κατὰ τὰς τὴν ἀμφισβήτημένων διατάσσεις καλῶς ἔχειν ἐδοξεν συνόδος καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν τὴν ποιούσαν τὴν επαρχίαν γένεσαι δεύτερον τὸ τέταρτον. Theodosius in concilio Constantinopolitano idem fecit. canon. 2. ἐνδηλον ὡς τὰ καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν τὸ πρεσβεῖον διοικήσει κατατάσσειν τὸν νυκτερινὸν ὕρισμένα. Idem fecit Imperator Martianus in concilio Chalcedonensi, can. 19. Εργον τοῖν τὰς ἀγίας σύνοδον κατὰ τὸ τέταρτον τὰς ἀγίας τατέρων κατόντας διετέταξεν τὴν συνάντησιν καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν τοὺς ἐπισκόπους — καὶ διορθεύειν ἐκαστατὰς ἀνακόποτα. Idem fecerunt Honorius & Theodosius in concilio Carthaginensi. can. 18. ὡς διὰ τὰς ἐκκλησιασικὰς ψήφιας — καθ' ἐκάστον εἰναυτὸν σύνοδον συγκαλεῖσθαι. Hæc consuetudo inde ab Apostolorum ætate sub Christianis Imperatoribus viguit, quamdiu Ecclesiæ sua stetit libertas. Hæc eandem laudabilem consuetudinem Ecclesiæ Belgicæ vel ita mandantibus, vel ipso facto approbantibus Ordinibus in usum revocaverunt, & his quadraginta annis sine omni interruptione laudabiliter observarunt. Si verò gravior controversia incidebat, quam ut ab hujusmodi provinciali Synodo decidi, vel componi posset, solebant Episcopi Imperatori supplicare, ut Synodum universalem

lem congregaret. Hujus exemplum vide apud Leonem. Epist. 24. 25. Hæc universalia concilia Imperator convocabat, eaque ipse immediate dirigebat, videbatque ut omnia recte & decenter in iis fierent. Exemplo est Constantinus Magnus in concilio Niceno. Hic enim (ut Theodoretus scribit lib. 1. cap. 13.) patienter omnia & quieta intentione eam, que proponebantur assumebat, & vicissim utriusque partis dicta sustentans paulatim conjugebat secum contentiosos adversarios, nec non placide singulos compellavit oratione græca, alios oratione conciliabat sibi, alio deterrebat collaudatis authoribus utilis sententia. Non destitit illos ad concordiam urgere, donec universas à disceptationibus in ejusdem sententia ac dogmatis unitatem abduceret. Cùm ipse Imperator adesse non posset, mittebat prudentes & honoratos viros consiliarios, & per illos convocatum concilium dirigebat. Hujus rei nobis idoneum exemplum præbet conciliū Chalcedonense. Hoc enim σι καθοραται ἀπόφοιτος (ut docet Evagrius libro 2. cap. 18.) nomine Imperatoris Martiani gubernabant, curabantque ut omnia ritè & decenter fierent; nisi quod in fine ipse Imperator præsens fuit, ut videre est apud eundem Evagrium. Adde, Imperatores solitos fuisse acta Synodica approbare. Euseb. lib. 4. cap. 37. de vita Constantini. Quæ ab Episcopis in publicis conventibus editæ erant regulæ, sua cōsignabat & confirmabat auctoritate, ne reliquarum gentium principibus ticeret, quæ ab eis decreta essent, abrogare. cuiusvis enim judicis sententia Sacerdotum Dei judicium anteponendum est. Dedicatoria Synodi Constantinopolitanæ ad Theodosium. Σερμεδα τοινυν δοῦλοι αὐτῷ γέγοναν, τὸν εὐτελεῖας δημιουργοῦ τὸν ποδὸς φίλον. Simile quid factum esse in concilio chalcedonē-

Q. 2. si le-

si legimus apud Evagrium lib. 2. in fine. Hic quærere, an Imperatori tribuamus facultatem judicandi in Synodis? ridiculum est. cui enim tribuimus jus & potestatem cōvocandi & dirigendi Synodos, cui item tribuimus jus & potestatem approbandi canones in Synodo factos, illi cōtra controversiam judicandi potestatem tribuimus, neq; hic quicquam novi scribo. nam in Epistola dedicatoria ad Archiepiscopum hęc eadem Regibus & Generalibus Ordinibus tribuenda esse docui, & hanc meam assertionē probavi exemplo concilij Niceni, Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani, & Francfordiensis. Hęc omnia concilia Imperatores convocarunt, direxerunt, confirmarunt; & tamen Episcopis in his Synodis congregatis jus & potestatem judicandi de rebus fidei reliquerunt.

Quæris, an Imperatori non liceat sine concilio de causis fidei judicare? Respōdeo neque Sacras litteras, neque primitivę Ecclesię Canones, neque prisorum imperatorum leges, magistratui tantam auctoritatem tribuere.

Addo rem esse plenam periculi, uni homini, tantam potestatem in rebus fidei concedere. Nam si solus princeps etiam sine Synodo de rebus fidei judicare potest; sequitur omnibus subditis unius hominis judicio in rebus fidei standum esse. Quid si princeps iste sit Arrianus? quid si sit Samosatenianus? Nū protinus omnes ejus subditi Arrij, aut Samosateni hæreses amplecti debent? Quid si princeps judiceret Missam magis esse statui suo conservando, quam religionem Reformatam? Nū protinus omnibus ejus subditis Missa adeunda erit? Quid si princeps hodie sectetur doctrinā orthodoxam, proximo autem

autem anno sententiam mutet, & ad hæreat Samosateno, judicetque omnes pastores qui hodiè orthodoxam religionem profitentur, proximo anno sententiæ Samosatensi congruenter concionari debere? Num censes omnibus pastoribus ad principis nutum fidem mutādam esse? Ieroboam judicabat se statum suum conservare nō posse, si subditi sui ijsdem sacrís cum subditis regū Iuda uterentur. Hanc ob causam novum cultum in Dan & Bethel instituebat. sed ipse Rex qui hujus rei auctor erat, & subditi, qui eum hac in re sequebantur, graviter peccabant, ut docet Scriptura. 1. Reg. cap. 12. commat. 26. Quid igitur inquis, hac in re faciendum est? Respondeo regem alligatum esse Dei verbo, & ob eam causam nihil, nisi quod in Dei verbo mandatum est, in rebus fidei facere debere. addo illum non debere novos fidei articulos cōdere, sed antiquos receptosque fidei articulos sincere constanteque retinere, neque permettere, ut in illis aliqua mutatio fiat; & ut uno verbo dicam, nō debet dominari articulis fidei; sed debet illis, quemadmodum exteri Christiani, subesse. Iacobi magnæ Britanniæ Regis de hac re præclara sententia est. Evidem nec adhuc feci, neque postea facilius sum, ut novum queram fidei articulum condere, aut de aliquo fidei articulo iudicem me confundere presumam: sed exemplarem obedientiam præstabo, & omnibus fidei articulis me submittam, non minore cum humilitate & modestia, quam quisvis subditorum vel infimus. apologia pro juramento fidelitatis fol. 73. Regalis sanè & digna sententia, quam omnes Christiani principes & magistratus sequantur. Ego in hac doctissimi & pientissimi regum sententia acquiesco.

Q 3 Causa

Causa hujus rei est manifesta. Non enim habet princeps tantam potestatem in Ecclesia, quam in politia. In hac enim Deus supremum imperium, quod in terris est, magistratui concessit: in illa instituit ministerium, & summum imperium sibi reservavit. Hanc ob causam. Ecclesia tantum unum legoslatorem habet. Iacob. 4.12. *Vnus est legislator. principes vero & reges sunt Ecclesiae nutricij. Es. 49.23. Erunt reges nutricij tui.* Supremus igitur magistratus habet potestatem cogendi suos subditos ad observationem legum forensium, quas promulgat: sed non habet potestatem cogendi subditos suos ad hanc vel illam opinionem, quam ipse sequitur, amplectendani. Quod ut intelligatur, sciendum est supremum magistratum esse fidelem, vel infidelem. De infidieli nos non disputamus: Fidelis magistratus officium est duplex, unum communem cum cæteris Christianis: Alterum, proprium regis. Illud est ex vocatione generali, hoc ex vocatione speciali. Ratione Communis officij, nulla (loquitur de rebus fidei) est differentia inter supremum magistratum, & imum subditum: neque enim ille minus quam iste Hugo Christi collum suum subdere, verbum ejus audire, & sacramenta participare tenetur. Vidimus ipsi nostris oculis, illustrissimos Principes IOHANNEM CASIMIRVM Comitem Palatinum, & IOHANNEM seniorem Comitem Nassoviæ, cum populus ad sacram Cenam prepararetur, in publica confessione, una cum subditis alta voce ad ministri interrogations respondere, & subditis suis pulcherrimum pietatis exemplum præbere. Ratione proprij officij est custos utriusque tabulae, debet igitur operam dare, ut vera doctrina juxta

juxta normam verbi divini, in suis ditionibus proponatur; & si doctrina collapsa fuerit, curabit ut ad normam verbi Dei corrigatur & emendetur, quemadmodum Iosiam & alios pios principes fecisse legimus. Quoniam igitur in omnibus ipsius actionibus verbum Dei prælucere debet, non est difficile ad hanc quæstionem respondere. Nusquam enim sacrum Dei verbum docet supremum Magistratum sine concilio de articulis fidei judicare debere.

Sed urges me mei libri, quem de concilijs scripsi, auctoritate, producisque exemplum Donati de casis nigris à me istic allegatum, quod admirationem affert. Nam si hæc historia tibi probè cognita fuisset, nunquam hoc exemplum contra me jus Ecclesiæ defendantem allegasses. Res autem ita se habet. cum contentio esset inter Cæcilianum & Donatum, Donatus deferebat causam ad Imperatorem Constantinum, & petebat ut per Gallicos Episcopos eam dijudicare vellet. Constantinus illius precebus motus, Romæ indicit Synodum viginti Episcoporum, ut de hac controversia dispicerent. Synodus Romana, cui Myltiades præcerat, condemnat Donatum; Donatus provocat ad Imperatorem; Imperator indicit Arelatis majorem Synodum Episcoporum, & mandat Synodo, ut hanc quæstionem dijudicet. Synodus Arelatensis approbat sententiam Synodi Romanæ, & Donatum rursus condemnat; Donatus ab Arelatensi Synodo damnatus rursus ad Imperatorem provocat. Imperator approbat utriusque Synodi sententiam, & suo calculo condemnat Donatum. Hunc procedendi modum nos minime improbamus. Omnes enim Ecclesiæ Belgicæ,

quod
adq[ue]d

quod quidem ego sciam, supremo magistratui hoc jus & potestatem unanimi consensu deferunt. Quod igitur quæris, annon habeat supremus Magistratus jus & potestatem judicandi de rebus adiaphoris indifferentibus, & de ijs, quæ non sunt magni momenti? est ridiculum. Nam cui tribuimus jus & potestatem judicandi de rebus fidei, illi minimè negamus jus & facultatem judicandi de rebus adiaphoris & indifferentibus. Sed scire debes, nobis non esse cum Conrado controversiam de rebus adiaphoris & indifferentibus; sed ob ipsum fundatum salutis nostræ, & totius pene Christianismi cum eo contendere. Docet enim, *Deum non essentia, neque aeternum, neque per se, neque simpliciter infinitum esse.* Sed hoc dogma evertit totam doctrinam de Trinitate. Est enim simpliciter impossibile, ut in una & eadem numero finita essentia sint tres *uirtus eternæ* inter se verè & realiter diversæ. Omnes enim Theologi & Philosophi unanimi consensu docent, in omni re finita tot esse essentias, quot *uirtus eternæ*. Idem docet illum solum esse verum Deum, quem Iesu Christi imperfectores pro vero Deo agnoverunt. Hoc dogma evertit Deitatem Iesu Christi. Iesus Christus enim non est ille, quem imperfectores ipsius pro vero Deo cohaerunt. Idem docet Iesum Nazarenum accepisse adoptionem, *qualem nobis promisit.* Hoc dogma evertit doctrinam de persona Christi. Est enim simpliciter impossibile, ut nos sit redemptor sit, qui ipse adoptionem quamlibet nobis promisit, adeptus est. Omnes enim orthodoxi Theologi unanimi consensu docent, neminem posse Mediatorem nostrum esse, nisi qui est æternus Dei Filius; ab æterno ex patre genitus. Hanc eandem hæresin olim docuerunt

Eliphani

Eliphandus Toletanæ sedis Episcopus, & Felix Orgelitanæ, & ob hanc hæresin à concilio Francofurdenſi damnati sunt. Verba Synodi hæc sunt. cap. i. *Convenientibus Deo favente Apostolica authoritate, atque p̄yssimi Domini nostri Caroli Regis iuſſione, anno vigeſimo ſexto principatus ſui, cunctis Francorum ſeu Italiæ et Aquitanie Epifcopis ac ſacerdotibus, synodali cōcilio, inter quos et ipſe mitiſſimus sancto conuentu interfuit. Vbi in primordio capitulū ex oriū de impia et nefāda hæreſi Eliphādi Toletana ſedis Epif. et Felicis Orgelitanae eorūq; ſequacibus, qui male ſentientes in Filio Dei aſſerebāt adoptionem, quam omnes qui ſupra, sanctiſſimi patres reſpuentes una voce contradixerunt, atque hanc hæreſin à ſancta Eccleſia eradicandam statuerunt. Confer hoc dogma cum ſcriptis Conradi, & judica annon ob iuſtam cauſam contradixerimus illi? Eliphandus & Felix, inquit canon Syndicus, aſſerebant in Filio Dei adoptionem. Conradus ſcribit, Iefum Christum præmia ampliſſima, & ſpeciatim diuinam adeptiōnem adeptum eſſe; & ut conſtaret, de qua nam adoptione loqueretur, addit declarandi cauſa, eum ſuis cultoribus promiſſe adoptionem, qualem ipſe author Iefus Christus adeptus eſt. Hanc impiam & nefandam hæreſin (ſunt verba patrum Francofordiensium) erubuit in ſuo libro ponere Socinus. In exemplo enim Hispalensi non exſtat: ne tamen non exſtareret, voluit eam libro huic inſerere Conradus, ut ſine errore judicare poſſemus, illum intus & in corde ſuo ſentire, Iefum Christum accepiffe adoptionem, & quidem tamē, qualem nobis promiſit. Cum ego hanc hæreſin modeſtè notaſſem, arguit me erroris; & cum illam in meis commentarijs refutaſſem, ſuſcepit eam in ſcholijs defendendam.*

R

Primum

Primum quærerit, An non recte dici possit, Christo contigisse quandam adoptionem? Sed hoc nihil facit ad rem. In libro enim Steenfordiensi non in genere quærerit, An Christo contigerit aliqua adoptio? sed in specie afferit, Christum adeptum esse divinam adoptionē quam nobis promisit. Sed nos prius ad librum Steenfordensem, deinde ad ipsius scholia respondebimus.

Quæritur igitur, An Christus acceperit divinam adoptionem quam nobis promisit: & respondemus quod non. Adoptio enim divina, quam Deus electis promisit, est illa, qua prædestinatos ex gratia adoptat in filios per Iesum Christum. Eph. 1.5. *Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christū pro benevolo affectu voluntatis sue.* Hæc adoptio Christo non contigit. Non enim ex gratia, sed natura & essentia est Dei filius.

Quod ad ipsius scholia attinet, quæritur, An non recte dici possit, Christo contigisse aliquam adoptionem? & respondemus quod non. Nam

Omnis homo cui contigit adoptio, est filius adoptivus.

Christus non est filius adoptivus.

Ergo Christus non est homo cui contigit adoptio.

Major est extra controversiam vera. neque refert de qua adoptione verâne an metaphoricâ loquaris. Nam cui contigit vera adoptio, ille est verus filius adoptivus. & cui contigit metaphorica adoptio, ille est metaphoricus filius adoptivus. Christus verò nulla ratione est filius adoptivus. recte igitur afferimus illi nullam omnino contigisse adoptionem.

Hic nota hominis oscitantiam. negat enim Christum esse

esse filium adoptivum, & tamen asserit eum *adeptum esse divinam adoptionem, qualem nobis promisit, & Christo contigisse aliquam adoptionem.* hoc est, ponit antecedens, & negat consequens. sed frustra hoc est, Adoptio enim fieri nequit, nisi quis adoptetur. neq; refert propriè an metaphoricè id siat, qualis enim est adoptio, talis est adoptivus, ut ante ostensum est. Inepte igitur facit, cum asserit Christum adeptum esse divinam adoptionem, quale nobis promisit, & negat illum esse filium adoptivum.

Quanquam hæc tergiversatio illum non juvat. Felix enim & Eliphandus, ut est in canone Francofordiensis, non dicebant Christum esse filium adoptivum, sed dicebant in Christo esse adoptionem. Verba Canonis hæc sunt: *Qui male sentientes in Filio Dei asserebant adoptionem.* Hic idem facit. Dicit enim *Christo contigisse adoptionem,* & *Christum adeptum esse divinam adoptionem qualem nobis promisit..*

Ne tamen nihil dicere videatur, dicit *adoptionem esse vocem ambiguam, ad quod probandum allegat locum ad Rom. 8. 23. Expectantes adoptionem redemptions corporis nostri.* Sed hoc nihil facit ad rem. Nam neque propriam, neque metaphoricam adoptionem Christo tribui posse, jam antè ostensum est.

Addit adoptionem poni pro resurrectione. sed hoc falsum est. Adoptio enim qua Deus hominem adoptat, est actio Dei, non hominis: resurrectio vero qua homo resurgit, est actio hominis, non Dei. Deinde Apostolus hoc loco non dicit Christo contigisse adoptionem, neque dicit Christum adeptum esse divinam adoptionem qualem nobis promisit, neque docet adoptionem esse

R 2 resur-

resurrectionem.

Priusquam progrediar indagandum est, An Apostolus hoc loco doceat, esse aliam aliquam adoptionem, quæ sit re ipsa diversa ab ea, qua Deus prædestinatos adoptat in filios per Iesum Christum? & si non, quidnam Apostolus per adoptionem intelligat?

Primam quæstionem malo Oecumenij, quæm meis verbis explicare, sic autem ille inquit: τοιαν δεν ἀπεκδεχόμενα; τὸ φανερόμενόν, φησί, καὶ λαὸς πολύτρων τῆς σώματος. ἄλλοι παρά τὸ εἰρημένον, μὴ γένοιτο. ἀλλὰ αὐτὸν οὐκέτερον φανερόμενον. Qualem igitur expectamus? illam, inquit, quæ manifestatur per corporis redemptions. Num aliam diversam vē ab ea quam dixeras? Absit. verum eandem ipsam manifestorem, & experimento ipso manifestorem. Huic explicacioni ego subscribo. & quia Conradus aliam adoptionem asserit, peto ut eam manifestis & claris Scripturæ testimoniis probet, sed hoc facere nequit. Nusquam enim Scriptura docet aliam aliquam divinam adoptionem, quæ sit ab illa, qua Deus prædestinatos in filios adoptat, re ipsa diversa.

Ad alteram quæstionem respondeo, Apostolum per adoptionem intelligere declarationem, aut consummationem illius adoptionis, qua Deus prædestinatos in filios adoptat, aut utramque. In hac re consentiunt pene omnes interpres, aut enim adoptionem hoc loco interpretantur per declarationem, ut Oecumenius, Calvinus & alij, aut per consummationem, ut Chrysostomus, Bucerus, Martyr, Beza & alij, aut per utramque, ut Marloratus. Hæ interpretationes eodem redeunt, cum enim hæc adoptio, qua Deus prædestinatos in filios adoptat, plenè

plenè declaratur, tum etiam consummatur: & cùm consummatur, tum plenè declaratur.

Vtraque hæc interpretatio habet fundamentum in Scriptura. Illa, cap. 8. vers. 19. ad Romanos. *expectant, dum filij Dei palam fiant.* quid enim est palam fieri nisi declarari? Hæc, ex voce *primitias,* quæ est ad Rom. cap 8. vers. 23. educi potest. Si enim in hac vita habemus *awag-
zlo primitias,* sequitur nos consummationem adhuc expectare. Hic obiter nota libidinem contradicendi, quæ est in adversario. Nam cùm ego adoptionem, de qua loquitur Apostolus, interpretor per *declarationem,* contradicit & quærerit, quare eam cum Smiglio & aliis non interpreter per *consummationem?* Et cùm paulo post eam interpretor per *consummationem,* rursus contradicit, idq; propterea quod inde sequitur, nos non esse perfectè filios in hac vita. Nam si adoptio nostra non est perfecta in hac vita, sed ejus consummatio adhuc expectatur, sequitur nostram filiationem non esse perfectam, & per consequens nos non esse perfectè filios in hac vita. Hoc autem tanquam absurdum rejicit, ut illud antecedens, ad quod hoc sequitur, rejicere possit.

Et quod mireris, scribit in eodem folio. *Credentes etiam hic revera esse filios Dei, idq; integrè & plenè, pro ratione & statu hujus seculi; & tamen olim longè perfectius filios Dei evasuros esse.* Et, Verè fideles, licet revera jam filij Dei sim, aliam tamen perfectiorem filiationem olim expectare. Has contradictiones vel potius tumultuationes annotasse, est idem quod refutasse.

Tandem ed confudit, ut dicat per adoptionem quam Christus adeptus est, illud intelligi, per quod Apostolus

R 3 . Rom.

Rom. 8.23. eam explicat. Sed neque hoc verum est. Apostolus enim eam explicat per redemptionem corporis nostri. Quid enim? an etiam vult Christi corpus redemptum esse? aut sustinebitne dicere Christum esse redemptorem sui ipsius? Ut hoc mysterium rectius intelligatur, repetendum est quod Socinus docet, etiam Christū esse redemptum. lib. 2. cap. 1. de Iesu Christo Servatore.

Idem Socinus Redemptionem accipit duobus modis. videlicet propriè aut metaphoricè. Est igitur duplex redemptio. Vna propriè sic dicta; altera metaphorica. Illa fit propter lytrum; hæc fit sine lytro. Vnde necessariò sequitur Christum, si redemptus est, aut hac, aut illa redemptum esse. Huc accedit Conradum docere, Christum adeptum esse divinam adoptionem qualem nobis promisit, & hanc adoptionem interpretari per redemptionem. secundum Conradum igitur sequitur, Christū redemptum esse tali redemptione, qualem nobis promisit. At quam nobis promisit? eam, quæ facta est per preciosum ipsius sanguinem, aut ob lytrum ab ipso Iesu Christo solutum.

Vox nostri idem docet. manifeste enim arguit omnes illos, qui hanc adoptionem expectant, eadem redemptione redimi. Clara sunt Apostoli verba *Expectantes adoptionem redemptionem corporis nostri. Nos igitur & Christus eandem redemptionem corporis nostri expectamus.* sed hoc quomodounque accipias, sine impietate dici nequit. Nam si de vera redemptione accipis, sequitur Christū vera redemptione, quæ fit ob lytrum, redemptū esse: si vero de metaphorica intelligis, (quemadmodum facit Socinus lib. 2. cap. 2. de Christo servatore) sequitur nos.

nos metaphorica redemptione, quæ fit sine lytro, redemptos esse. Vtrumque est impium & absurdum. Qui vult, potest hanc Conradisticam Theologiam diligenter excutere. mihi non libet plura addere. Tantum placet interrogare, qua causa motus scripsit Christum adeptū esse divinam adoptionem qualem nobis promisit? & quare nunc asserat Christo contigisse quandam adoptionem? Aut enim revera ita sentit, & vult impiam & jam olim ab Ecclesia damnatam hæresin Felicis & Eliphandi in Ecclesiam reducere. aut vult animos nostros tentare & explorare, quomodo hāc assertionem accipere velimus. sed redeo ad propositum.

Quia me Caroli Magni & concilij Francofordiensis auctoritate urgere voluisti; palam profiteor, me Ordinibus Generalibus concedere illam auctoritatem in rebus fidei, quam Carolus usurpavit: quin per me licet, ut Ordines Generales in Conradi hæresibus dijudicandis eodem modo procedant, quo Carolus Imperator in Eliphandi & Felicis hæresi dijudicanda processit. Examinemus igitur, Hugo, factum Caroli, atque inde inferamus, quid Ordinibus Generalibus nunc faciendum sit. Carolus ad hanc Eliphandi & Felicis hæresin dijudicandam convocavit Synodum Francofordensem, hanc suā auctoritate rexit, & gubernavit. Ipse Imperator sepositis alijs curis Synodo interfuit, non eripuit Episcopis Alamanniæ, Galliæ, Italiæ de hac hæresi judicandi potestatē; sed reliquit illis integrum, quod illis jure debebatur, ut de hac hæresi liberrimè judicarent, & quisque suam sententiam liberè diceret. Deinde quod Episcopi judicaverunt, hoc imperator suo calculo approbavit & exsecutioni

tioni mandavit. Clara sunt Synodi verba. *Quam hæresin Eliphandi & Felicis omnes, qui supra, sanctissimi patres responentes una voce contradixerunt, atque hanc hæresin funditus à sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.* Persuade Ordinibus Hollandiæ, ut Carolum Magnum imitentur, & concilium indicant pastorum Hollandiæ, ut ipsi Synodo intersint, ut eam regant & gubernent suâ authoritate; ut pastoribus Hollandiæ non eripiant jus judicandi de ipsis us hæresibus, sed hoc jus, quod illis jure divino debetur, relinquant illis integrum: ut suo calculo approbent, & executioni mandent, quod à pastoribus synodice congregatis statutum fuerit. Res hæc est digna, quæ diligenter excutiatur. Nam si Christus nobis promisit adoptionem, qualem ipse adeptus est, non potest noster mediator esse. Est enim eadem Filiationis specie Filius, quâ nos sumus; sed qui eadem nobiscum filiatione filius est, non potest noster Mediator esse. Mediator enim noster debet nos filios Dei facere. Ioh. 1. 12. *Quotquot eum acceperunt, dedit eis hanc dignitatem, ut filij Dei fierent, nempe ipsis, qui credunt in nomen ejus.* Sed qui ipse per adoptionem filius factus est, non potest nos omnes filios Dei facere. Hæc est causa, quare sacra Scriptura tam clarè & graphicè doceat, Iesum Christum esse genitum, Ioh. 3. 16. imo unigenitum, Heb. 1. 5. & proprium Dei filium, Rō. 8. 32. ejusque filiationem doceat toto genere diversam esse à filiatione nostra. Heb. 1. 5. *Cui unquam Angelorum dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Non quod Angeli non sint Dei filii: sed quod ea ratione non sint filii Dei, quâ Iesus Christus Dei filius est. Quid ita? Angeli & homines sunt filii non proprij, nec ab æterno.

terno ex patre geniti; sed metaphorici, & in tempore per gratiam filii facti. Iesus Christus vero est proprius filius, & ab eterno ex patre genitus, atque hanc filiationem cum nulla creatura communicat. At vero qui non metaphoricus, sed proprius & unigenitus Dei filius est, ille non est adoptionem adeptus, hoc est, non est per adoptionem filius factus. Hoc licet ita se habeat, ille tamen scriptum defendit, & dicit adoptionem aliquando idem esse liberationi aut resurrectioni, quod non tantum falsum, sed etiam ridiculum est, ut ante ostensum est.

Idem Conradus scriptum edidit, *Deum ob nullam aliam causam curasse ut Christus ex mortuis revivisceret, quam ut ea confirmaret, quæ Dei nomine dixerat.* Et. *Iesum Christum ante resurrectionem fuisse mortalem doctorem: post eam vero Dominum cœli & Regem perpetuum à Deo populo datum esse.* Sed haec dogmata evertunt doctrinam de persona & officio Christi. Nam si ob nullam aliam causam, quam ut doctrinam suam confirmaret, resurrexit, non suscitatus est ex mortuis propter justificationem nostri; & si post resurrectionem demum cœli Dominus factus est, sequitur illum ante resurrectionem non fuisse verum Deum, neque posse eum nobis suâ morte justitiam parere.

Idem docet *Deum nobis peccata condonare, nulla pro ijs plena satisfactione acceptâ.* Et. *Fidem esse perfectam integrâ nostram justitiam, quâ coram Deo justificamur.* Sed haec dogmata doctrinam de satisfactione Christi pro nobis facta, & doctrinâ de justificatione nostri evertunt. Nam si Deus nullâ plena solutione acceptâ nobis peccata cōdonat, falsum est, Christū pro nobis satisfecisse. Et si fides est *integra & perfecta illa justitia, quâ nos justificamur, fal-*

S. sum

sum est quod Apostolus dicit, nos unius obedientia justos constitui; falsum item est quod idem dicit, nos non per opera, sed gratis justificari sine operibus. Si haec ita ut par est, expendes, videbis ipse extra propositum afferri, quicquid abs te de rebus adiaphoris & indifferentibus hic dicitur. Non enim de rebus levibus & indifferenteribus; sed ob principale fundamentum salutis nostrae: imo ob universum penè Christianismum cum Conrado contendimus. Quid enim est Christiana religio, si doctrina de Trinitate, de Deo, de persona & officio Christi, de Satisfactione Christi pro nobis facta, de justificatione nostri, & de fide justificante convellitur? Deinde nemo nisi fatuus & stultus propter res adiaphoras & prorsus indifferentes concitaverit tantas contentiones. Eo enim ipse ostendit, se velle aliorum conscientiis dominari, ut habeant pro adiaphoribus, quae non sunt adiaphora: aut re ipsa demonstrat se prorsus contemnere tranquillitatem & pacem Ecclesiarum, dum eam propter res leves & nullius momenti lacerat & rumpit. Tu Christiane Lector, disce quædam haberi pro adiaphoribus, quæ non sunt adiaphora, vel non sunt omnibus adiaphora. Potest enim fieri, ut tibi aliquid sit indifferens, quod mihi tale non est. potest item fieri, ut tibi hodie aliquid sit indifferens, cras non sit. Exemplo est Apostolus Paulus. Timotheum enim circumcidit, Act. 16.3. Titum circumcidere noluit. Gal. 2.3. Fuit igitur circumcisio Apostolo indifferens cum Timotheum circumcideret, & haec eadem, cum quidam urgerent, ut Titum circumcideret, huic eidem Apostolo indifferens non fuit. Porro in his rebus, quæ mihi adiaphoræ sunt, proximo meo non sunt, ita me

me gerere debo, ut proximum per meam libertatem non offendam. Scitè Apostolus Rom. 14. 15. *Si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non ambulas secundum charitatem, quin addit, ne cùm à iuá illum perdas, pro quo Christus mortuus est.* Huc accedit esse quædam, quæ in quibusdam locis ut adiaphora admittuntur; in aliis vero locis admitti non possunt. Exempli causa *Linea vestis*, quæ per Lutherum abrogata erat, in multis locis tempore *Interim* restituebatur in Germania. Philippus Melanchthon de illa cum quoquam litigare nolebat, neque ego ipsius judicium improbare possum. Si tamen quis eam vellet reducere in Ecclesiæ Hollandicas, is omnes Ecclesiæ perturbaret. Nolim autem propter res non necessarias quenquam turbare, atque hoc est, quod in mea præfatione monui, ut in rebus adiaphoris nos mutuo ferremus, & ut pastores Ecclesiarum in his adiaphoris rebus, quantum per Dei verbum licet, sese accommodarent ad genium populi, cui præfecti sunt.

Post hæc quæris, quinam mirtendi sint ad Synodum? Ad hanc quæstionē non possum sine distinctione respondere; idque propterea quod in omnibus regionibus non est una & eadem regiminis Ecclesiastici forma. In quibusdam enim regionibus assimilatur illud monarchiæ, in aliis aristocratiæ. In illis jus & potestas veniendi ad Synodos, est (ut nunc vocantur) penes Archiepiscopos & Episcopos: hi enim longo tempore hoc jus habuerunt, ut in Anglia; in qua si Rex Synodum convocare vellet, existimari ego Archiepiscopos & Episcopos, & si qui alij sunt, ad quos hoc jus pertinet, convocandos esse. Nam si quis in illo regno ius veniendi ad Synodos, & in illis de

S z rebus

rebus fidei judicandi potestatem, Archiepiscopis & Episcopis adimere; & in alios, qui neque Archiepiscopi, neque Episcopi sunt, transferre vellet, is graves motus in isto regno concitaret, & fortasse in cassum laboraret. Hi omnes possunt minus interrupto sacro publico ad concilium venire; quippe quibus ordinariè concionandi, sacramenta administrandi, ægros visitandi onus minus incumbit. Deinde sunt alij, qui verbum Dei ordinariè prædicant; Sacra menta administrant, ægros visitant, & aliis muneribus ministerii Ecclesiastici funguntur. Si tamen Oecumenicum concilium extra Britanniam indiceretur, & ad illud vel duo, vel tres mittendi essent; dixerim ego illos communis consensu reliquorum eligi debere; atque ita factum esse antiquitus, ut paulò post patebit.

In his non sunt Archiepiscopi, neque Episcopi, (ut nūc vocantur:) sed sunt pastores sive presbyteri, sive ministri, atque hi omnes sunt inter se æquales, omnesque in Dei verbo prædicando & Sacramentis administrandis occupantur. Hi omnes non possunt simul domo abesse, & concilio interesse. Interrumperentur enim sacra publica. Deinde uno loco congregari non possunt. Adde, hujusmodi concilium sine ingentibus sumptibus celebrari nō posse: ut taceam esse ex illis, qui quidem sunt boni pastores, & tamen non admodū apti ad synodica negotia peragenda. Dixerim igitur ex multis paucos eosque aptissimos, & maximè idoneos eligendos esse. Recte. Sed quæris, à quonam eligi debeant? Respondeo, tempore Apostolorum ab Ecclesia electos & missos esse. Act. 15.3. Illi missi ab Ecclesia profecti sunt Hierosolymam ad Apostolos & Presbyteros. Subsequentibus seculis, quam diu Magistratus

tus non fuerunt Christiani, eosdem ab Ecclesia electos,
& ad Synodum Carthaginensem, cui Cyprianus inter-
fuit, Antiochenam, in qua Samosatenus damnatus est,
Sinnessanam, in qua Marcellinus damnatus est, Ancyra-
nam, Neocæsariensem, &c. missos esse, extra controver-
siam peno. Deinde, et si Imperatores, postquam Chri-
stiani facti essent, Synodos œcuménicas convocáre-
tamen Ecclesiis reliquerunt illud jus, ut eligerent & mit-
terent ad Synodos, quos vel omnium, vel plurium con-
sensu in suis Ecclesiis maximè idoneos esse judicabant.
Nam cùm Constantinus synodum Nicenam convoca-
ret, ex omnibus Ecclesijs — Dei (ut docet Eusebius lib. 3.
cap. 7.) ministri, qui facile primas ferre putabantur, vocati,
deinde Pontus, ut idem Eusebius scribit, Galatia, Pamphi-
lia, Cappadocia, Asia, & Phrygia viros apud se lectissimos sup-
peditarunt. Vide. Imperator convocavit Episcopos: &
singulæ provinciæ lectissimos Episcopos suppeditarunt.
Idem lib. 4. cap. 43. Macedones suæ metropolis Episcopum
legabam. ubi rursus disce, Imperatorem convocasse Sy-
nodum, & Macedones tantum ablegasse suum metropo-
litanum. Idem de Hispaniis dici potest. Ex Hispaniis
enim aderat tantum unus nomine (sunt verba Eusebii) &
fama celebritate insignis, is erat Osius Cordubæ Episcopus.
Et hoc ipsum de Italia & Gallia rectè dixeris. Ita enim
tantum duos presbyteros Romanos: hæc solum Nicasiu-
m misit, ut ex subscriptionibus appareret. Hoc non eò
factum est, quod Italia, Hispania & Gallia, eo tempore
non habebat plures Episcopos, quam unum; sed quod
quælibet harum provinciarum nō judicabat plures mit-
tendos esse quam unum.

S 3

Ex

Ex actis synodi Ephesinæ, constat in catalogo descri-
ptos fuisse, qui ut judices ad Synodum mittebantur.
Theodosius enim & Valentinianus rescribūt. αδεμον γάρ
τὸν ἐξωτερικόν τὸν εἰσιτόν γέγχανον τοῖς ἔκκλησισιοῖς
σχέμασιν ἀπομίγνυσαν. Fas non est, ut qui extra Episcoporum
catalogum est, se Ecclesiasticus negoijis misceat. Manifestum
igitur est illos Episcopos tantum, qui in Catalogum re-
lati, hoc est, ab Ecclesia electi, & cum judicandi potesta-
te ad Synodum missi erant, habuisse in Synodo potesta-
rem judicandi de rebus fidei. Hoc ipsum clarè testatur
Constantinus ad Synodum Tyriam apud Theodoreum
lib. 1. cap. 28. Quod, inquiens, ad nos attinet, nihil patiemur
desiderari bonitatis nostra, omnia de quibus litteris vestris si-
gnificatum est, exsecuti sumus, scripsi Episcopis (nota) quibus
voluistis, ut suam curam in hoc concilio ad vestram adjunge-
rent. Cùm Damasus & Synodus Romana litteris Theo-
dosij Imperatoris invitarent Episcopos, qui Constanti-
nopolis congregati erant, ut Romanam venirent, respon-
dent (ut est apud Theodoreum lib. 5. cap. 9.) se ab Epi-
scopis, qui in suis provincijs manserant, tantum (nota) pesuisse
consensum, ne Constantinopolin proficerentur. addunt se
prætemporis angustia non posse cæteros Episcopos, qui in pro-
vincijs agunt, certiores facere, & eorum (nota) affensionem
obtinere. Hic obiter nota, Christiane Lector, hos Episco-
pos Imperatoris Theodosij litteris ad concilium Con-
stantinopolitanum vocatos, & simul ab iis Episcopis, qui
in suis provinciis manebant, electos & ad concilium mis-
sus esse; iterum nota illos cum ejusdem Imperatoris lit-
teris Romanam vocarentur, sese modestè excusasse, quod
Episcopos qui domi manserant, præ temporis angustia
de Ro-

de Romana profectio[n]e certos facere, & ad eam illorum consensum tam subito obtinere non possent. Non igitur pugnant h[ec] duo.

Imperator convocat concilium. Et.

Ecclesia sive Episcopi commun[i] consensu eligunt & mittunt ad Syrōdū, quos idoneos esse judicant.

Ratio hujus rei est manifesta. Res enim, quae in conciliis agitantur, pertinent ad omnes Ecclesias. Omnes igitur Ecclesiæ debent maturo cōsilio optimos, doctissimos, pacis amantissimos, & ad eas actiones aptissimos eligere, quibus illa, quae ad totam Ecclesiam pertinent, tutissime & commodissime credere committereque possunt. Deinde nemo potest totius Ecclesiæ nomine loqui, nisi potestate à tota Ecclesia accepta. Huc accedit, si uni talem autoritatem non habenti concederetur sententiam dicere in concilio, plures sese ingesturos esse, neque quod uni contra Ecclesiasticas leges conceditur, alteri negari posse. Præterea, si cuilibet non electo permitteretur ad concilium profici, & in eo sententiam suam de rebus fidei dicere, possent mali conglobatione factā irrumperē, & suffragiorum multitudine omnia perturbare. Concludimus igitur neminem nisi legitimè ab Ecclesia electum, cum potestate dicendæ sententiæ ad Synodum profici debere. Hanc laudabilem consuetudinem Ordines Generales & Ecclesiæ Belgicæ hæc tenus secutæ sunt. Illi enim convocarunt concilium Dordracenum, Middelburgense & Hagense: & tamen nemo nisi ab Ecclesiis legitimè electus, & publicâ authoritate missus ad Synodum venit, & in illa judicandi potestatem habuit.

At quæris, si in Fœderatis provinciis Belgicis habitaret

Plessæus,

Plessæus, & Marnixius viveret, annon hujusmodi viris liceret cum definiendi potestate ad concilium venire? Sed frustra hoc quæris, non enim hoc tempore, proh dolor, omnes fœderatæ provinciæ habent vel unum Plessæum, vel unum Marnixium: nec dubium est, si tales viri hoc tempore essent in fœderatis provinciis Belgicis, quin Ecclesiæ Belgicæ illos libenter electuræ, nec ullo modo neglecturæ essent. Sed quid ego hæc pluribus persequar? In conuentu præparatorio, cui Vtenbogardus & Harmenius interfuerunt, hæc & superior controversia, quæ est de ratione mittendi pastores ad concilium, consentientibus suffragiis, etiam Harminio & Vtenbogardo suffragantibus, definitæ sunt. Iстic enim proponebatur hæc quæstio. *Quem numerum, & qualium hominum ad hunc conventum oporteat vocari ex qualibet Synodo particulari?* Et, an conveniat aliquos deputari, qui non sint in munere Ecclesiastico, sint tamen religionis reformatæ, ac idonei? Ad hanc quæstionem omnes, etiam Harminio & Vtenbogardo suffragantibus, unanimi consensu responderunt. *Ye promulgansibus vobis Illustribus Ordinibus Generalibus cōvocationem Synodi nationalis, ex qualibet particulari Synodo deputentur ministri verbi quaterni, & seniores bini, qui ad Synodum istam agendum mittantur, designandi suffragijs Synodi particularis, eo modo quo fieri par est, quibus jus in Synodo nationali, de omnibus, que occurrent, aut proponentur rebus, sententiam dicere, & suffragium definitivum ferre.* Ad secundam partem capit is quod attinet, hæc est sententia nostra, *fas esse aliquos nunc re ipsa munus Ecclesiasticum non administrantes, religionē tamen reformatam profientes, & ad eam rem idoneos deputari.* neminem igitur qui

qui idoneus, & legitimè vocatus est, repudiamus. Hæc autem duo *Idoneitas* & *vocatio* sunt necessaria. illa propter rerum, quæ in conciliis aguntur, difficultatem. Hæc ad vitandam confusionem.

Ut hæc quæstio rectius intelligatur, repetam ex doctribus nostris, quid Ecclesiæ reformatæ de hac re sentiant. Sic igitur habeto.

Iudicium de rebus fidei vel est supremum, vel subordinatum. Supremum est solius Dei, estque prorsus & simpliciter infallibile. De hoc nulla est quæstio. Subordinatum est Privatum, aut Publicum. Privatum, quo singuli credentes de doctrina judicant. Ioh. 10. 4. *Oves eum sequuntur, quia norunt vocem ejus. alienum autem nequam sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non norunt vocem alienorū.* 1. Thess. 5. 21. *Omnia explorate, quod bonum est tenete.* Heb. 5. 4. *Adulorum est salidus cibus, eorum scilicet, qui propter habitum habent sensus exercitatos ad discretionem boni & mali.* 1. Ioh. 4. 1. *Probate Spiritus, an ex Deo sunt?* Publicum, quo illi qui publica auctoritate ad publicum Ecclesiæ munus votati de doctrina in rebus Ecclesiasticis judicant. 1. Cor. 14. 29. *Prophetæ autem duo aut tres loquuntur, & alij prophetæ dijudicent. & commate.* 32. *Prophetarum Spiritus prophetis subjiciuntur.* Per prophetas hoc loco non intelligit omnes in universum Christianos. 1. Cor. 12. 29. *Num omnes Prophetæ? sed illos tantum, qui ex legitima vocatione Ecclesiam docent.* 1. Cor. 14. 3. *Qui prophetat, hominibus loquitur adificationem.* Ad hos igitur præcipue pertinet de rebus fidei iudicium. Non ignoro Oecumeniū, locū qui est commate. 32. aliter explicare, & dicere donū prophetiē pēdere ab arbitrio prophetæ,

T prophetæ,

phetæ, scilicet illius, qui hoc donum habet. Sed hæc interpretatio cùm scopo Apostoli parum congruit. Docet enim Apostolus neminem aliorum censura eximi debere: sed omnes, qui prophetiam habent, audiendos, & illorum doctrinam ad examen revocandam esse. Vide Calvinum, Beza, Parætum & alios.

Iudicia publica, vel sunt presbyteralia, vel Clasica, vel Synodica. Nos de solis synodicis disputamus. & ut methodicè progrediamur, dicimus omnes credentes aut pascere in Ecclesia, aut pasci. Illi vulgò vocantur pastores. Isti, oves. Hi omnes neque simpliciter ad concilium admitti, neq; ab eo simpliciter acri debet. Nō enim omnes Credentes eandem potentiam, neque idem judicandi habent. Potest enim fieri, ut quis habeat potentiam judicandi, jus non habeat ut qui idoneus est, sed legitima vocatione destituitur. Nemo igitur cum judicandi potestate ad synodum admittatur, nisi qui idoneus est, & legitimam vocationem habet. Sub idoneitate comprehendimus, doctrinam, pietatem & prudentiam. Per legitimam vocationem non intelligimus eam, qua vel ad gubernandam Rempub, vel ad Ecclesiam pascendam vocatus est: sed qna ab Ecclesiis peculiariter electus, & cum judicandi potestate ad synodum missus est.

In utroque ordine sunt superiores & inferiores. Superiores in synodo, sunt illi qui præsunt, sive præsident cōcilio. Repeto nos hic (quod etiam ante attigi,) non agere de summo præside, nam hic citra cōtroversiam est Christus, sed de præsidibus subordinatis. Subordinati præsides sunt duo. Vnus, Politicus; alter, Ecclesiasticus. In synodo enim generali, accidunt quædam, quæ sunt politica,

litica, & pertinent ad politiam: & quædam, quæ sunt Ecclesiastica, & pertinent ad Ecclesiam. Illa curantur à prælide politico: hæc ab Ecclesiastico. Præsidis politici partes sunt, synodum indicere & cogere, coactam tueri, externam viam, & internam ἀταξίαν prohibere, decreta legitime facta, & legatorum subscriptionibus confirmata, tua quoque autoritate confirmare eaque in ditionibus suis promulgare, & repugnantes coercere, Ecclesiastici præsidis partes sunt, quæstiones de fide motas in synodo proponere, diputationes moderari, suffragia colligere, & decreta per notarios in acta referre. Ille vel est princeps ipse, ut Constantinus magnus in synodo Nicena: vel eius legati ab ipso principe ad synodum missi, ut σεδοξόταροι ἀρχοντες in synodo Chalcedonensi. Hic communibus vel pluribus suffragijs à fratribus, qui cum suffragandi & judicandi potestate ad synodum missi sunt, legitimur. Inferiores sunt cæteri, qui ab Ecclesijs electi, & à magistratu approbati, cum iudicandi potestate ad synodum mittuntur. Hi in controversijs Fidei dijudicādis præcipuas partes habent. neque tamē pro judicibus propriè dictis, sed pro judicij in Dei verbo comprehensī interpretibus sive indicib⁹ habēdi sunt. Post hos etiam illi, qui à nulla quidem Ecclesia alegati, neque publica autoritate instructi sunt; sed aliquid de doctrina aut disciplina Ecclesiastica proponere cupiunt, audiendi sunt, modo illa quæ proposituri sunt, debito ordine & ratione proponant. Post hos à synodo arceri non possunt, qui discendi causa adesse cupiunt, modo se modeste gerant, & sese inter suos terminos contineant. Vtriusque rei exemplum nobis præbet synodus Nicena; in ea enim philosophi

Iosophi ad disputationes, & astantes ad auscultationem admissi sunt. Quia verò duo sunt, quæ in concilijs agitantur, doctrina, & mores, putarim ego hos duos posteriores ordines doctrinæ examini adesse, morum verò censuræ non adesse posse. Illa enim est omnibus modis manifestanda; fratrum vero infirmitas, quantum honestè fieri potest, occultanda.

Hęc eligendi ratio etiam cum externa facie nostrę politiæ congruit. In senatum enim Generalium Ordinum nemo cooptari potest, nisi qui à provincia, cuius nomine senatorem Ordinum aget, legitimè electus & missus sit. Äquum igitur est, ut ad nationalem synodum cum judicandi potestate veniat nemo alicujus Ecclesiæ nomine, nisi ab ista Ecclesia legitimè electus, & ab illa ad synodū missus sit. Hic mihi fortasse objeceris, fieri posse, ut Ecclesiæ aliquos elegant, qui non sunt admodum idonei, vel ut illos, qui sunt maximè idonei, prætereant. Sed idē fieri potest à Magistratu. Deinde versimile est Ecclesiæ rectius novisse, quinam in suis cōtibus ad eas actiones idonei sint, quam supremus Magistratus. Fieri enim potest, ut supremus Magistratibus, puta Constantinus Magnus, optimè sciat, quinam in ea urbe in qua ipse habitat, sint maximè idonei; & nullam prorsus notitiam habeat eorum, qui in Lybia, Hispania & alijs provincijs remotioribus Ecclesiam administrant. A magistratu igitur h̄ic facilius errari potest, quam ab Ecclesia. Sed supervacua fortasse fuerit hęc sollicitudo. Majores enim nostri quantum humanā providentiā fieri potest, dili-

genter

genter caverunt, ne quid tale in hac re accideret. Ut enim hīc vel nullus omnino, vel minimus locus relinqueretur errori, observatum fuit hactenus, ut qui communī pastorum & presbyterorū consensu in aliqua provincia, puta in Frisia, electi sunt, repræsententur suprēmo Hagistratui, hoc est, Ordinib⁹ Frisiæ, ut ad electionem ab Ecclesia factam consensum adjungant, electosque suā authoritate confirment, si illos idoneos esse judicaverint; aut si vitium in electione admissum est, Ecclesijs errorem ostendant, mandentque ut alios qui idonei sunt, eligant; ut illi, qui ad Synodum mittuntur, communī consensu ab Ecclesia electi, & à Magistratu approbati, totius universitatis nomine de ijs, quæ in synodo proponuntur, dispiciant. hoc modo manet Ecclesia sua libertas; & magistratui sua conservatur authoritas. Sed hīc diligenter cavendum est, ne magistratus illos, qui ab Ecclesia electi sunt, nisi ob justam & evidētēm causam reprobet & rejiciat. Si acciderit, ut ab Ecclesia aliquis prætereatur, qui magistratus judicio magis idoneus esse judicatur, aut Magistratus aliquem commendet, qui Ecclesiæ non usque adeò probatur: cogitandam est nos neque ipsos perfectos esse, neque vivere cum perfectis; & ob eam causam alterum aliterius infirmitatem in hujusmodi rebus ferre debere. Videmus hoc quotidie accidere in politiæ civili: sœpe enim fit, ut vir juvenis & rerum imperitus

T³ ad

ad magistratum civilem promoveatur; & senes rerum
politcarum peritissimi, & longo usu edocti negligantur;
neque tamen propterea illi qui negliguntur, vel seipsoſ
citra vocationem ingerere, vel turbas movere debent.
Societas enim humana conservari nequit, niſi quisque
ſeſe intra limites ſuæ vocationis contineat, & publicum
honorem publicamque authoritatem ſibi non iumat niſi
legitimè vocatus. Dices fieri poſſe, ut ministri & presby-
teri in synodo congregati in judicando errent, & quærīſ,
ſi quid tale acciderit, unde remedium peti debeat? Re-
pondeo, etiam politicum magistratum in judicando er-
rare poſſe, & ſoſpe errare. ut autem nihil tale fiat in syno-
do, vel rariſimè fiat, oſtendi concilia Ecclesiastica ſe op-
timè habere, ſi qui doctrinā, pietate, & rerum uſu præ-
ſtant, ex singulis provincijs ad synodum mittantur, &
supremus magistratus, qui synodo præſidet, eamque gu-
bernat, videat ut omnia ritè & decenter fiant. Hoc modo
sancti Patres Nicæ congregati, & Magnus Constanti-
nus iſtos preclaros canones communi consenſu promul-
gārunt; eodem modo in concilio Constantinopolitano,
Ephesino, Chalcedonensi, Francofordiensi & alijs facti-
tum est. Si hæc cautio tibi non ſufficit, poſſent omnes,
qui ab Ecclesijs ad synodum mittuntur, & illi, qui loco
supremi magistratus synodo præſident, jurejurando adi-
gi, ut neque ex odio, neque ex invidia, neque ex alio il-
licito affectu, led ex Dei verbo (quantum quidem illi in-
telligunt) de omnibus & singulis, quæ in synodo propo-
nenda ſunt, judicare velint, neque video quid præterea
ad errores in ſententijs ferendis vitandos adhiberi de-
beat. Existimō enim Patres in synodo congregatos, &
ſupremum

supremum magistratum synodo præsidentem omnes errores vitare posse, si hoc modo agere velint. Si tamen, quod est humanum, in judicando erraverint, video tres vias, quas in hoc casu se qui possimus. Una est provocatio à synodo ad summum magistratum. Hanc tenuit Apostolus Act. 25. 9. *Ad iudicari Casaris i/o, ibi me oportet* *judicari.* Altera est, ut Iesus petat à supremo magistratu, ut omnia ad tempus eo loco relinquere velit, quo ante latam sententiam erant. Hanc tenuit Leo Epist. 35. Ecce ego Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus — obsecramus — ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Tertia est, ut quis injuriam sibi factam patienter ferat. Augustinus de vera religione cap. 6. *Sæpe divina providentia sinit expelli de congregatiōne Christiana etiam bonos viros, quam contumeliam vel injuriam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerunt, neq; ullas novitates vel schismata, vel hæreses moliti fuerunt, decebat homines quam vero affectu, & quātā sinceritate Charitatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto pater in occulto & idens.* Hæc sufficerent ad quæstionem tuam, verūm quia mihi etiam aliorum ratio habenda est, dicam breviter, An & quatenus iudicia Ecclesiastica nostras conscientias obligent. Iudicia illa sunt, vel de realibus, vel de personalibus. Realia sunt de fide, vel de rebus adiaphoris. Quæ sunt de fide, aut congruunt cum Dei verbo, aut ab eo discrepant. Illa per se obligant conscientias: Hæc nullo modo eas obligant. Imò in his tenenda est illa regula. *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Quæ sunt de rebus adiaphoris, non per se obligant conscientias; sed tantum

tantum ratione scandali. Illa igitur per sc.: haec scandali vitandi causa observare debemus. Si vero judicium est de persona; ut vel aliquem ligent, vel legatum solvant, sciendum est Ecclesiæ judicium habere momentum; si cum veritate congruit, neque esse pertimescendum, si ab illa discrepat. Scitè Hieronymus in. 16. caput Matthœi,
IStum locum Episcopi & presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharis orum assumunt supercilie, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxio arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita queratur. Etiam quæris, cujus nomine synodica decreta debeant promulgari? Respondeo. In primitiva Ecclesia nomine synodi, vel eorum qui in synodo congregati fuerunt, fuisse promulgata. Vide Acto. 15. 23. & cap. 16. 4. Et ita factum est, quamdiu Ecclesia sub Ethnicis magistratibus fuit. Deinde cum summi Imperatores Christiani fierent, synodica decreta confirmata quidem sunt ab Imperatore, & ab eodem in suis ditionibus promulgata: non tamen imperatoria, sed synodica decreta dicta sunt.

Evidem Constantinus magnus inter judicia politica & Ecclesiastica distinguens, etiam illam sententiā, quæ ipso praesente in synodo lata est, vocat judicium Sacerdotum. de vita Const. lib. 4. cap. 37. *Cuius enim judicis sententia sacerdotum Dei judicium preferendum est.*

Vide acta Nicæna, Ephesina, Chalcedonensia, &c. Sed urges me Regis Philippi decreta Tridentina promulgatis autoritate: verum hoc exemplum est prorsus dissimile. Inter Papam enim & Reges seculares de jure imperij contenditur, haec vero contentio non fuit inter primitivæ Ecclesiæ Episcopos & Imperatores, neque est in-

ter

ter modernos Ecclesiæ ministros & inter Ordines Generales : proinde ut olim de hac re nulla fuit contentio, ita non est necesse ut de ea re nunc quis litiget. Nam ut Episcopi in primitiva Ecclesia jus Majestatis sine ultra controversia concedebant Imperatori : ita pastores in belgica non tantum jus Majestatis , sed omnem civilem jurisdictionem sine contradictione relinquunt politicis. illud Ordinibus Generalibus, hanc magistratibus inferioribus. imò nihil quod politicum est , attinguunt. Si hoc fecisset Papa. nunquam rex Philippus fuisset solicitus , suo ne an synodi nomine decreta Tridentina fuissent promulganda. Ut taceam hic aliquod mysterium latere. Scimus enim omnes & politicam & Ecclesiasticam libertatem sub Rege Philippo ab Hispanica tyrannie miserè oppressam fuisse. Quid igitur sentias, aut in animo habeas, dum me jus Ecclesiæ defendantem Regis Philippi auctoritate urges , non tantum Ecclesiasticis, sed etiam prudentioribus politicis judicadum relinquo. Interea putârim satius esse, ut Magistratus permittat illa (quemadmodum tempore Apostolorum & subsequentibus seculis, sub priscis Imperatoribus factū est) Ecclesiæ sive Synodi nomine promulgari. Tanta enim est quorundam protervia, ut etiam propterea ad sectarios prolabantur, quod vident Magistratum favere religioni Reformatæ; unde prudentioribus judicadum relinquo, quid facturi sint, si viderint illa Magistratus nomine promulgari. Statim enim vociferabuntur $\alpha\tau\alpha\tau\tau\alpha$, Reformatos machinari vim & persecutionem. Atque ut omnia in pauca contraham , Non adimo Magistratui promulgationem ; sed dubito, præstetne Magistratus an Eccle-

siæ nomine synodicos Canones promulgari? Nam quod ad rem ipsam attinet, perinde est, à quo fiat, modo benè fiat.

Hactenus breviter & perspicuè explicui, quid sentendum sit de jure, quod Magistratus civilis habet in judiciis Ecclesiasticis. Ut autem ego de hac re sentio: ita omnes orthodoxos pastores, qui sunt in Provinciis foederatis Belgicæ sentire arbitror. Evidem neminem novi, qui de hac re contrarium sentiat; quod propterea scribo, ut videas quam foedam calumniam Ecclesiis Belgicis, earumqne pastoribus affricare voluerit Vtenbogardus, cum publicis scriptis assereret, esse qui statuant (designas sc. pastores Ecclesiarum Belgicarum) duas supremas potestates in mundo, unam Ecclesiasticum, alteram politicanum. Nam quod ad pastores Ecclesiarum Belgicarum attinet, illi profitentur se esse subditos suorum Magistratum, atque etiam se ipsos pro illorum subditis gerunt, & magistratum non minus supra se, quam supra reliquos subditos potestatem habere agnoscunt. Et vice versa, magistratus non minus imperio suo regunt ministros, quam cæteros subditos; & in illos, si delinquant, habent ius vitæ & necis. De ministris & Pastoribus Frisiæ verè dicere possum, quod omnes sustententur tenuibus stipendijs, & quod maximam partem sint tenues & inopes. cum moriuntur, viduæ illorum sunt miseræ, liberi sunt egeni & pauperes. Hæreditas quam relinquunt, ferè consistit in quatuor vel quinque laceris libris. Hoc est ministrorum & pastorum Frisiæ regnum, hæc illorum monarchia; hanc Vtenbogardus disputat esse supremæ Ordinum potestati æqualem, sive, ut ipse loquitur, collateralem.

ralem. Dignus prorsus, quem propter hanc calumniam, quā odium Magistratum Christianorum in ministros Ecclesiæ Dei concitare voluit, appelles LVMEN ECCLESiarVM BELGICARVM. Post hæc rideſ illos, qui dicunt Ordines relinquere Anabaptistis libertatem vocandi tales ministros, quales ipſi desiderant, & cæteris ſectarijs, qui separatos coetus ſequuntur, eandem libertatem permitttere; neque laborare, ut ipſis præficiant doctores pastoreſvē, qui ipſis aliam doctrinam, quam ipſi desiderant, proponant, atque inde inferunt Reformatis eandem libertatem concedendam eſſe, aut horum conditionem eſſe deteriorem conditione illorum: & dicis illos de ſuo alere pastores ſuos, pastores verò Ecclesiæ Reformatæ ex publico ærario ſtipendia ſua percipere; atque inde videris inferre velle, pastores Reformatæ Ecclesiæ non habere jūs judicandi de rebus fidei, neque ab Ecclesijs eligi debere.

Multa inconsideratè ſcripſisti in hac tua pietate, ſed an hoc quicquam inconsideratiuſ ſcribi potuerit, penes Christianos magistratus judicium eſto. Christiani enim Imperatores Constantinus Magnus, Theodosius uterque, Martianus, Carolus Magnus, & alij piij Principes dotaverunt Ecclesijs, illarumque pastoribus ſuppeditarunt quæ ad vitam & vitæ cultum erant neceſſaria; & tamen reliquerunt Epifcopis jūs & potestatem iudicandi de rebus Ecclesiasticis. Constantinus Magnus cum ſynodum Nicenam convocaret, ſuppeditabat Epifcopis vehicula, jumenta, viaticum, & omnia ad iſtam profectiōnem neceſſaria: & tamen reliquit, imo conſirmavit illis jūs & facultatem iudicandi de rebus Ecclesiasticis, ut

ante probatum est. Idem sanctissimi & pientissimi Imperatores non obstante eo, quod Ecclesiis liberaliter dotarunt, & pastoribus subsidium vitae suppeditarunt, reliquerunt Ecclesiis jus & potestatem eligendi pastores, & hoc recte: Etsi enim ex publico aluntur; tamen ab Ecclesia eligi, & suo munere, ad quod etiam pertinet iudicium de rebus fidei, fungi debent. Deinde quod scribis, non est simpliciter verum. Bona enim haec non sunt publica. Nam non sunt omnium & singulorum usui exposta. Imo ne consistunt quidem in usu & servitio hominum. qualia igitur sunt? Sacra. consistunt enim in usu & servitio Dei: aut enim simpliciter destinata sunt ad servitium Dei, ut templa, &c. aut sunt destinata ad alienos illos, qui sacra publica administrant, & regulariter vocantur Ecclesiastica. Deinde non sunt ad omnes ministros Dei promiscue alienos destinata. Alia enim bona Ecclesiastica habet Franica, alia Leowardia. Et in urbe Leowardensi, alia bona habet paroicia Oldenhovia, alia Nienhovia. Eodem modo alia bona Ecclesiastica habet Minnersga, alia Belcum; neque sine confusione & perturbatione totius Frisiae fieri posset, ut bona Leowardensia Leowardensibus adimerentur, & darentur Francianis; aut ut illa, quae sunt Minneriganorum, ipsis eriperentur, & darentur Belcumanis, aut contra. Huc accedit, populum Frisicum, etsi parochi ipsorum sacrissime Ecclesiasticis bonis alebantur, semper habuisse jus eligendi suos parochos. Addo ipsum Imperatorem Carolum Quintum illis hoc jus potestatemque confirmasse, ut paulo post ostendam. Huc accedit, Regem Ma-

gnæ

gnæ Britanniæ bona Ecclesiastica, quæ antecessores ipsi-
us & alij magnates Ecclesiis dederunt, relinquere Archi-
episcopis & Episcopis Angliæ; & nihilominus non spo-
liare illos potestate veniendi ad Synodos, aut jure defi-
niendarum causarum Ecclesiasticarum, quæ in Synodis
proponuntur: ut nihil inconsideratius dici possit, quam
Ecclesiam propterea, quod ipsius ministri ex bonis Ec-
clesiasticis aluntur, non habere jus eligendi suos pasto-
res, aut pastores propter eandem causam non habere jus
& potestatem veniendi ad Synodus, & in ea judicandi
de controversiis Ecclesiasticis.

Attamen dices, in Hollandia omnibus ministris & pa-
storibus Ecclesiarum solvi stipendia ab uno quæstore.
Ita audio, sed excute annales Hollandiæ, & vide an ante hoc bællum ita fuerit? Deinde considera, quibus
cōditionibus hoc concessum sit? expende item ad quos
pertinuerint ista bona priusquam in unum ærarium re-
digerentur, & qua de causa id factum sit? quod si seriō
facies, fortasse non admodum oppugnabis ordinem præ-
sentem. Sed hac de re nobis paulo post plusculum di-
cendum est.

Hactenus explicuimus quid juris habeat Rex sive
supremus Magistratus in judicijs de rebus fidei; sequi-
tur, ut de ministrorum, hoc est, *Pastorum, Presbyterorum*
& *Diaconorum* electione differamus. Primum quæritur,
quisnam habeat jus & potestatem eligendi ministros
Ecclesiæ? Respondeo breviter & perspicuè, hoc jus
pertinere ad ipsam Ecclesiam. Hanc sententiam pro-
babō autoritate Dei verbi, sanctorum patrum, sum-
morum

V. 3

summorum Imperatorum, & conciliorum Ecclesiastico-
rum, hoc est, universali praxi Christianæ Ecclesiæ. Sacra
Scriptura dicit. Ioh. 10. 4. *Oves eum pastorem sequuntur,*
quia norunt vocem ejus, alienum autem nequam sequuntur,
sed fugiunt ab eo, quia non norunt vocem alienam. Ovium
igitur consensus ad pastorum electionem & rejectionem
necessarius est. Matth. 7. 15. *Cavete vobis à falsis prophetis.*
Vide, Christus ovibus mandat, ut veros doctores à falsis
distinguant, & his relictis, illos sequantur. Deinde Acto-
rum 1. cap. 23. legimus, totam Ecclesiam statuisse Iosephū
& Matthiā, ut Dominus ex illis unum eligeret. Actorum
sextō capite legimus universam multitudinem elegisse
Stephanum, &c. Actorum 14. 23. legimus Paulum & Bar-
nabam per suffragia creasse presbyteros in singulis Ec-
clesijs. Tit. 1. 5. Apostolus mandat Tito, ut oppidatim
constituant presbyteros. Ut satis mirari nequeam, quare
tibi libuerit scribere electionis ministrorū Ecclesiæ nul-
lam certam regulam in Scriptura traditam esse. Quid e-
nim? An exemplum Apostolorum non est nobis pro re-
gula? Scriptura disertè docet Actorum sexto capite, A-
postolos unanimiter mandasse, ut tota multitudo istos
septem eligeret. Eadem clarè docet. Act. 14. 23. Pau-
lum singulis Ecclesijs creasse presbyteros per suffragia.
per quorum suffragia? discipulorum, vel quod idem est,
totius multitudinis. Apostoli igitur præerant electioni,
& ut omnia decenter fierent, gubernabant eam; tota ve-
ro multitudo eligebat quemcunque volebat. Eodem
modo fit in Ecclesijs nostris. In parvis enim cœtibus toti-
multitudini permittitur electio. In magnis vero cœtibus
pastores & presbyteri longa jam receptâ consuetudine
eligunt

eligunt ministrum, electum multitudini proponunt, ut electionem à presbyterio factam suo suffragio vel ratam habebat, vel rejiciat. Ut hanc eligendi rationem ab Ecclesia factam evertas, confundis electionem ordinariā cum extraordinaria; nos verò non de extraordinaria, sed de ordinaria disputamus. Deinde confundis τὴν χειροτονίαν, & ἐπιθεσίαν τὸν χειρῶν, & quia legimus aliquando solos Apostolos, aliquando presbyteros simul imposuisse manus, vis ostendere aliquando solos Apostolos, aliquādo presbyteros simul, sine consensu multitudinis elegisse pastores Ecclesiæ: sed scire debes, τὴν χειροτονίαν pertinere ad electionem: τὸ δὲ τὸν χειρῶν ἐπιθεσίαν ad ordinationem: nos verò non de ordinatione, sed de electione disputamus. Hoc idem jus sancti Patres unanimi consensu testantur ad Ecclesiam pertinere. Cyprianus lib. i. Epist 4. *Ipsa plebs* habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. addit, hoc ipsum de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis eligatur, & dignus atq[ue] idoneus publico judicio et testimonio cōprobetur. Et Deus ostendit ordinationes sacerdotiales non nisi sub populi assistentia conscientia fieri oportere. Et, quod (diaconorum electio) tam diligenter & caute contricata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Et In Sabini ordinatione observatum est, ut de universa fraternitatibus suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant — judicio Episcopatus ei deferretur. Hieronimus ad Rusticum. populus habet potestatem eligendi clericos & sacerdotes. Ambrosius. ubi universorum postulatio congruit, dubitare vos nequaquam oportet, ibi Dominum Iesum & voluntatis auctorem, & petitio-

isno

onis arbitrum fore. Hilarius ad Constantimum Augustum. Permittat lenitas tua populis, ut quos voluerint, quos elegerit; audiant dicentes. Leo primus. Dist. 62. cap. Nulla. Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti. Cùm Severus opinaretur sufficere, ut de successore tantum ad clericos, & non ad populum referret, turba in Ecclesia Millevitana concitata est, quam ut evitaret Augustinus, de successore ad universam multitudinem retulit. Epist. 110. Ne aliquis de me queratur, voluntatem meam quam credo Dei esse, in omnium hominum notitiam profero. Vide etiam Nazianzenum in oratione funebri de suo patre, & Chrysostomum de Sacerdotio. lib. 3. & 4. Imperatores hoc jus suis legibus confirmarunt. Distinct. 63. cap. Sacrorum. Sanciunt Imperatores, ut Episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum elegantur. codice de Episcop. l. 38. Instanter doctrinæ Apostolorū, lege sancimus, ut quoties in qualicunque civitate sedem sacerdotalem vacare contigerit, decreatum fiat, ut ab his, qui eam civitatem incolunt, super tribus personis recte fidei, & honestæ vita, aliorumq; bonorum & virtutum testimonium habentib; & ex ipsis idoneior ad Episcopatum promoveatur. Et l. 29. Si quenquam vel in hac regia urbe, vel in cæteris provincijs, que toto orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum provehì Deo authore contigerit, puris hominum mentib; nuda electionis conscientia, sincero omnium judicio proferatur. Carolus Magnus sacrorum, inquit, canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordinis Ecclesiastico præbuiimus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum elegantur. Nicenum concilium suffragante
& ap-

& approbante Constantino Magno, scribit ad Episcopos
Ægypti, &c. *Si contigerit præsulem mori, jus esto paulò ante
receptus in mortui locum succedere, si digni visi fuerint &
populus elegerit.* Concilium Carthaginense. 3. can. 22.
*Nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit, vel Episcoporum
examine, vel populi testimonio.* Hoc unanimi Ecclesiarum
consensu motus Pamelius scribit in epistol. 68. Cypri-
ani. num. 16. *Non negamus veterem electionis Episcoporum
ritum, qui plebe præsente, imo & suffragijs plebis eligi solent.*
*Nam in Africâ olim observatum constat, ex electione Era-
dij, successoris Augustini, de quo exstat epistol. 110. In
Gracia etate Chrysostomi. lib. 3. de sacerdotio. In Hispania ex
hoc Cypriani loco, & Isidor. lib. de officiis. In Gallia ex E-
pistola Cœlestini Papæ II. Romæ, ex ejus quæ supra diximus.
epist. ad Anton. quæ est numero 52. ubique etiam alibi. ex
Epist. Leonis 87. & perdurasse eam consuetudinem ad Gre-
gorium primū imò usque ad tempora Caroli & Lodowici Impe-
ratorū. ex lib. 1. cap. 61. Nullus.
*Nullus invitis detur Episcopus, cleri, plebis, & ordinis consensus
& desiderium requiratur, &c.* Cap. Si forte. distinct. eadem.
*Nullus invitis & non potentibus ordinetur, ne civitas Episco-
pum non optatum aut contemnat, aut oderit.* Et, si contigerit,
ut plebs propter pastoris electionem in varias partes scindatur,
universi assiduâ admonitione compellendi sunt, ut omnes in
unum, quem dignum sacerdotio viderint, & sine aliqua repre-
hensione, consentiant. distinct. 63. c. plebs. Hanc eandem ob
causam Carolus Quintus postulantibus Frisiis rescripsit
in hunc modum: *Carolus Dei gratia Romanorum Impera-
tor, semper August. &c.* — Secundò convenit, ut populo Friesia
X relinquitur*

relinquatur nominatio, electio, presentatio libera pastorum, vicariorum, beneficiorum aliorum similium per totam regionem, exceptis locis ac beneficijs, in quae speciale ius presentandi teneant homines certi, aut quae antiquitus patronatus juri obnoxia fuerunt, in quibus id quod hactenus valuit, valere quoque debet deinceps: reservata quoque nobis ob honorem imperij nostri, quod in provincia habemus hereditarium, in singulos annos collatione sacerdotiorum, beneficiorumque ejusmodi aliorum trium non subjectorum speciali patronatus jari. Unius in Östergoa; alterius in Westergoa; terrij in Sevenwoldijs vacatorum calendis Ianuarij, aut proxime post eas, sine differentia magnitudinis aut tenuitatis eorundem. Cui collationi hic lex adhaerere debet, ut is, cui sacerdotium aut beneficium conferetur, domicilium ibidem figat, & obeundo muneri sit idoneus. In quibus autem populo, ut dictum, ius priscum relinquatur, de ipsis convenient, ut loco vacante omnes qui sedē in parœcia eadem habent, tenentes domos tributo obnoxias, aut aratrum excentes exclusis ceteris, sono nolarum convocati, in templo per suffragia libera pastorem, vicariumque, aut quemvis beneficiarium alium eligant, atque in ista electione id ratum sit, quod plurium praesentium suffragijs fuerit statutum, nec hic ratio ulla absentium, nec respectu nobilitate, genere, officio differentium personarum habeatur, suffragijs praesentium pauciora cedant pluribus, atque ita pro nullis censeantur, ne hic fas sit, alios aliorum sollicitationibus importunis, aut coationibus qualibuscunque urgeri: sed singulu constet & servetur illibata & incorrupta suffragij ferendi libertas, ex animi sui sententia, & dictamine recte conscientiae: nec in hac re suffragij ius habeant illi, qui quamvis possessones & pra-

dia in

dia in ista parœcia teneant; tamen in parœcia sedem domicili fixam non habent. Isti autem soli habeant, qui istic habitant, & possessiones tenent hujusmodi, cuiusmodi supra designata sunt. Ad hoc definitum est, ut Grietmannus, id est, Praetor istius loci teneatur sine mora electionem & presentationem hujusmodi cum nota temporis, quo vacare sacerdotium beneficium ve cœperit, scripto comprehendat, atque ei sigillum adjiciat, ejusq; opera ergo amplius quam stuferos sex Brabantico non capiat, ut quilibet aut à parœcia hoc modo, aut ab ijs, qui jus Patronatus habent, electi, quique soliti sunt electionem aut presentationem suam scribarum camera exhibere, teneantur eandem suam electionem presentationemq; intra mensi spaciū efferre gubernatori provinciæ, præsidii Senatus, ac Senatui presenti, ac petere acciperèque ab ijs diploma formâ usitata, cum sigillo nostro, quo & tempus notarium sit loci vacare incipiens, & nomen ejus, cuius morte locus vacuus sit factus: nec liceat Senatui aut Præsidi id diploma petenti denegare absque justa & sufficiente causa, ob quam iudicio Senatus indignus videri possit petens, cui rale munus aut beneficium conferatur. teneaturq; graphiarius, id est, scriba; a Secretis expedire id diplomam, & simul apographum in protocollum referre, acceptâ tantum usitata opera mercede, nec amplius: concedatur apographi ejus inspectio & lectio cuivis volenti gratis: quod si contigerit electum obrationes judiciorum Senatus sufficientes reiici, tum ut liberum sit vel parœcis, vel ius Patronatus habentibus alium pari modo designare, & id iuris repetere, donec designatus hujusmodi aliquis fuerit, qui jure reprobari non possit. Item placuit, ut omnes diploma id accipientes jarent solenniter nobis ut hereditatis obsequi

X 2 rys

barijs dominis fideles se futuros, nec consilio ulli aut negotio af-futuros, consensu^og, directo contra imperium, potestatem, honorem, commodum, salutem q^z nostram, & si quia hujusmo-dis cognoverint, id statim gubernatori provincie, Präsidii, Se-natuique se indicaturos. denique operam quoq^s daturos, quan-sum in ipsis est, ut in obsequio nostro subditi nostri per Frisiam retineantur, nec se cuiquam alteri istius sacerdotij aut be-neficij ergo jussurandum dedisse, aut daturos esse: sed nec cui-quam quicquam promisisse, aut donasse, aut agros locasse, aut cum quoquam omnino pactos esse, sacerdotij beneficijve istius consequendi causa. Præterea si quis Sacerdos aut beneficiarius secus quam fas est, mores suos, ac vitam instituet, ut in eo ca-su liceat Senatui eum abdicare, & ad redhibendum diploma adigere, more jam olim solito, redeatque jus eligendi & designandi alium loco hujus ad parcos patronostre. Postremo si deprehensum fuerit, abusum aliquem obrepere in eligendis aut designandis pastoribus, vicarijs, beneficiarijs alijs, tum jus sit nobis, ut Dominis hereditarijs, aut Senatui nostro, causa bene cognita, remedium adhibere, et constituere id, quod ex usu comodo q^z provincie, ac legibus ac rationi conruum esse videbi-tur. hoc tamen modo, ne delictum hujus aut illius alijs noxa aut detimento sit. Civitatibus autem Frisia ratio solita in his rebus, id est, in pastoribus, vicarijs, beneficiarijs reliquis designandis illibata maneat, sive ea ex pacis, transactionibus profecta sit, sive ex more usu probato.

Huic juri & consuetudini insistentes Ecclesiæ Frisicæ communi consensu eligunt ministros, eosque ab Ecclesia electos confirmat Magistratus, priusquam à coeteris pastoribus admittantur, & Ecclesiis præficiantur. Quod hic contendis Episcopos Trajectinos fuisse ali-

quando

quando à Comitibus Hollandiæ constitutos, non derogat nostræ sententiæ, quam paulò ante Sacrae Scripturæ, sanctorum Patrum, Christianorum Imperatorum, & probatorum conciliorum authoritate probavi. Est enim hoc exemplum prorsus dissimile. Trajectensis enim Episcopus à multis seculis vix quicquam fecit, quod est Episcopi. Nam neque verbum Dei prædicavit, neque Sacraenta ritè distribuit. Nemo, credo, negaverit, hunc cum plerisque aliis per Germaniam hujusmodi præsulibus, magis secularem fuisse principem, quam Ecclesiæ Episcopum: & aliunde habuisse sua regalia, & provinciam cui præfuit. Quis igitur miretur eum constitutum fuisse ab illo, à quo fortasse & regalia, & provinciam suam, vel partem eorum possidebat? Scribit Fredericus ad Adrianum Papam, se Episcoporum Italia hominum non quasitum, si illi à suis regalibus volent abstinere. De investitura est eadem ratio. At verò ministri moderni nulla regalia habent, neque illud, quod est potestatis politicæ, ullo modo attingunt: investitura igitur non est iis opus. Hæc igitur omnia, ut ad rem non pertinentia sciens & volens prætereo.

Si his non acquiescis, peto abs te, Hugo, ut velis ex Scriptura producere unam claram & perspicuam sententiam, quâ probes Magistratum habere in Ecclesia abso-lutum jus & potestatem judicandi de rebus fidei, & eligendi constituendique pastores Ecclesiæ; vel ostende ex Scriptura, Ecclesiam jus & potestatem judicandi de rebus fidei, & constituendi pastores, per Magistratuū con-versationem perdidisse. Sed nolo te Scripturæ authoritate urgere, affer unum, unum inquam, ex omnibus sanctis

ENYON

X 3

patri-

patribus, qui inter quadringentos à Christi nativitate annos in Ecclesia floruerunt, qui vel utrumque, vel alterum clarè & perspicuè dicat. Labora in hac re sedulè, & experieris re ipsâ longè aliud esse, has novitates ex Dei verbo & orthodoxa antiquitate probare, quam in anī quādā rhetoricatione contra veritatem cavillari.

Sed urges me edicto Caroli Quinti, quo contendit aliquorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ sunt in Hollandia collationem, præsentationem & dispositionem ad se pertinere, & simul mandat, ut omnes illi, qui in Hollandia beneficia Ecclesiastica possident, suos titulos ad Graphiarium Hollandiæ deferant. Sed quid hoc ad me, qui præcipue ad Frisiā, in qua vivo, respexi? Imo quid hoc omnino ad rem præsentem? non enim de collatione, neque de præsentatione, neque de dispositione beneficiorum Ecclesiasticorum, neque de jure patronatus, sed de electione pastorum ad ministerium Ecclesiæ dispu-to. Relinque Ecclesiæ libertatem eligendi ministros, & non movebit illa tibi litem de collatione, præsentatione, dispositione beneficiorum Ecclesiasticorum, & jure patronatus, neque hæc inter se pugnant. commodè enim fieri potest, ut Ecclesia eligat ministrum, & patronus vel alius quisquam, ad quem hoc jus pertinet, ad electionem ab Ecclesia factam consensum adjungat.

Sed quia hoc jus Patronatus admodum urges, paulò plenius de illo differam. Ac primum dico illud in Dei verbo fundamentum non habere, sed esse posterioribus temporibus ad stabiliendum Papatum Romanum introductum. Tu cùm sis Doctor Iuris, & historiæ præsertim tam recentis non imperitus, fateberis libenter illud esse

novum

novum, & niti jure Papali, atque ob eam causam non posse Dei verbo præjudicare. Panormitanus ingenuè fatetur illud esse Ecclesiæ servitutem. de jure Patronatus. cap. Quæcunque. n. 9. in tertium Decretal. Ex quo sequitur illud esse vel prorsus abolendum, vel ita mitigandum, ut Ecclesiæ obesse nequeat. Huc accedit illos, qui ius Patronatus habent, etiam in ipso Papatu non habere potestatem administrandi bona Ecclesiastica. Panormitanus eodem titulo. ad C. Præterea. n. 1. Ex jure patronatus Laicus non consequitur jus instituendi, vel destituendi, vel bona Ecclesiæ administrandi; sed solum jus præsentandi — & hoc procedit, etiamsi Patronus sit clericus. Idem ad C. Illud prætereundum. n. 1. Ex acquisitione Iuris patronatus non habet Laicus potestatem concedendi Ecclesiam, quo ad proprietatem — nec quo ad titulum; sed solum consequitur potestatem præsentandi clericum Episcopo per eum instituendum. Hæc præsentatio non est electio. Panormitan. in Cap. Nobis n. 4. Repræsentatio propriè non est electio. quia per electionem acquiritur jus electio: Per repræsentationem non acquiritur jus præsentato. Et in C. Quæcunque. Propriè præsentatio, non electio pertinet ad patronum. Nam cùm Ecclesia Clericum elegisset, patronus eum præsentabat Episcopo, & petebat ut eum institueret. Panormitan. in C. Transmislae. n. 5. Non debet dicere patronus, præsento vobis Clericum, cui Ecclesiam concessi aut contuli; sed debet dicere, Hunc clericum elegi vobis præsentandum, & sic præsento eum, & peto eum per eos institui. Vbi æquus lector notet eligendi verbum, cùm patrono tribuitur, non propriè, sed largo modo accipi, ut idem Panormitanus scribit. in Cap. Nobis. n. 4. & in C. Quoniam. n. 6. Huc accedit

Ius

Ius Papale distinguere inter Conventualem Ecclesiam, & Capellam. Beneficium conventionalis Ecclesiæ opinor illud esse, cui onus sacerdotij incumbit, seu quod publico officio est destinatum: Beneficium Capellæ opinor esse præbendam, quæ est ab hoc onere libera. Ad illud conferendum tantum requiritur assensus Patroni: Ad hoc verò ipse solus aliquem eligere potest. De jure Patronatus in tertio. C. Nobis. in rubrica. *Patronus non eligit Prælatum in conventionali Ecclesia, sed in Capella. & in ipso textu. In conventionali Ecclesia non electione Prælati facienda, sed jam facta honestius patroni postulatur assensus — se- cundus tamen est in capella, in qua unus presbyter à patrono eligi- tur, & ibi Panormitanus. Iura solum excludunt patronum ab electione in conventionali Ecclesia.*

Ex his videre potes, Electionem prælati etiam jure Papali non pertinere ad Patronum. Vides etiam in conventionali Ecclesia nihil aliud postulari à Patrono, quam assensum, & Patronum non habere potestatem eligendi, aut destituendi Prælatum, neque habere potestatem administrandi bona Ecclesiæ, sed tantum habere potestatem præsentandi. Arque hoc ipsum grave visum est Ordinibus Hollandiæ. Hoc enim jus Patronatus ita litarunt, ut ministris Ecclesiæ esset, unde viverent, & nemo teneretur assensum à Patrono postulare.

*Decretum Ordinum Hollandiæ
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,
ET IURE PATRONATVS.*

Ordines.

Ordines Hollandie curaturi, ne redditus beneficiorum, vica-
riatum, Canonicatum, qui jure Patronatus laici sunt, in-
tra fines hujus provinciae in usum ministerij alicuius Ecclesia-
stici, aut Missarum destinati fundatiq; alio quam in sustenta-
tionem Ecclesiastarum, Scholasticorum, ac aliorum gloriae Dei
servientium converiantur, atque impendantur, constituerunt
zandem ac decreverunt, ut redditus hujusmodi omnes, à quocun-
que hactenus & quomodocunque possessi ac usurpati, ex besse
maneant in potestate patronorum, ut conferant eos pro arbitrio
suo in scholasticos, aliósve usus pios, sed hac addita lege, ut
collationis hujus confirmatio petatur ab Ordinibus provinciae,
aut eorum Deputatis, loco institutionis prioris; triens vero re-
liquis impendatur alendis Ecclesiastarum ministris. Simul irri-
tas esse jubent idem Ordines collationes omnes bonorum aut
censum talium abs sese, aut Deputatis suis cum Illustrissi-
mo Principe Aurora factas, durante bello superiore, sine con-
senso verorum patronorum; non autem eas, que bello eodem
sunt antiquiores. Qui vero collatores in possessione plena ante
initium belli fuerunt, hos volunt in possessione eadem manere,
quandiu vivent; hac tamen conditione, ut trieniem omnem
dependant in usum ministerorum Ecclesia, tradantq; eum que-
storiibus huius rei præficiendis: apud quos etiam tenebuntur
omnes patroni pariter & beneficiarij census hujusmodi cum
ctos, agros, bona ejus generis edere ac proficeri intra semestre
à tempore promulgationis, ut in indicem referantur: idq;
sub hac pena, ut patroni amittant ius Patronatus, quod habet,
& beneficiarij, qui in possessione beneficiorum sunt, perdant
bilem suum, nisi huic decreto paruerint, & ceteri quoque u-
surpatores corripiantur; bes autem ille cedar in usum schola-
sticorum & ministerorum Ecclesia. Excipiunt omnes patronos,

& beneficia, quibus annexa est cura animarum, quorum reditus volunt integros manere, & conferri in subsidia vita Ecclesiastarum. Decernunt denique & præcipiunt, ut quæstores omnes dent operam, ut hæc observentur sine vicio. Actum Haga.
vij. Septemb. anno M.D.LVIII.

Hoc decretum docet Ordines Hollandiæ, qui primi libertatis vindices fuerunt, nervos incidiisse huic juri Patronatus, & revocasse illud ad tolerabilem quandam mediocritatem, ut Ecclesiarum libertati, & reformationi religionis non obesset. Ademerunt enim patrono jus præsentandi pastorem Ecclesiæ. Deinde trientem abstulerunt patrono, cætera beneficia quibus cura animarum alligata est, prorsus ademerunt patrono, eaque omnia, & illorū trientē transtulerūt ad publicū quæstorem, cōverterūtq; illa ad sustētationē pastorum Ecclesiæ, qui eo tēpore erant: quo facto Ecclesiæ ministeriū eo tēpore receptū, ipsosque ministros, & ipsorum electionem, quæ tunc in usu erat, approbarunt. Observandū præterea est, Ordines collationis illius bessis confirmationē sibi reservasse: Hujus verò trientis, & illorū beneficiorum, quibus cura animarum alligata est, collationis confirmationem sibi non reservasse: factum id est, ut Ecclesiarum libertati consulerent. Huc accedit, Ordines rescribere, se non velle, ut hæc bona in alium quām sacrum usum convertantur. reipsa igitur declarant, se per hoc decretum non velle illa bona quæ sacra sunt, fisco addicere; neque velle illa, quæ Dei cultui destinata sunt, publica facere, aut ad servitium omnium singulorumque hominum transferre. Quod autem voluerunt, ut ad publicum quæstorem deferrentur, fecerunt propterea, ut ministrorum quieti

quieti consulerent, efficerentque, ut illi neque cum patronis, neque cum beneficiorum possessoribus litigare cogerentur, atque hoc facto denuo confirmarunt ministros, eorumque electionem tunc temporis usitatam. Nemo negaverit illos hoc decreto, quo decreverunt, ut ministri, qui eo tempore Ecclesiam pascabant, à publico quæstore ordinaria stipendia quotannis acciperent, ipsos ministros, eorumque munus & electionem eo tempore receptam ipso facto confirmasse & approbasse.

Quod ad titulos attinet, explicandum prius est, quid per eos intelligas, priusquam respondere possim. Video enim hanc vocem aliter à Scriptoribus Ecclesiasticis, aliter abs te usurpari. Evaristus dicitur *presbyteris divisisse titulos Romæ; Dionysius in eadem urbe parochias divisisse, & presbyteros in titulis constituisse* prohibetur. Vnde colligimus, titulum significare parochiam, & beneficium ad istam parochiam pertinens. ut titulus S. Martini est parochia Franicana, & titulus B. Mariae in periculis est prebenda, sive beneficium pertinens ad hanc parochiam. Illo modo accipitur distict. 70. c. Sanctorum, & dist. 80. c. Episcopi: hoc modo, ut opinor, accipitur, cum clericus in tituli dicitur. Tu verò videris titulum accipere pro formula commissionis, ut nunc loquimur. De titulis Evaristi & Dionysii non arbitror te admodum solicitū esse. Si verò titulus in mandato Caroli pro formula commissionis accipitur, non derogat nostrę sententię. Omnibus enim parochis, qui sunt in Frisia, formulam commissionis, vel, ut vulgo loquimur, PLAC ET COCEDEBAT Carolus, & tamen Ecclesiis libertatem eligendi pastores relinquebat; & nos, ut jam soepe diximus, confirmationem mini-

strorum Ecclesiæ ad Magistratum pertinere non negamus, neque de Formuleitatibus cum quoquam contenedere volumus. Scis ipse Ecclesiæ Belgicas, præsertim quæ sunt in magnis urbibus (nam omnium exactum notitiam non habeo, neque puto te de omnibus sollicitū esse) non eligere ministrum, nisi re cum magistratu communicata. Deinde nos ultrò confitemur in Christiana & libera Republica ad concordiam & tranquillitatem conservandam necessarium esse, ut Ecclesiæ sua relinquatur libertas, & magistratui sua vindicetur authoritas. Libertas Ecclesiæ maximè in eo consistit, ut eligat tales ministros, quales ipsa desiderat. Magistratus verò authoritas postulat, ut illi, quos Ecclesia elegit, non admittantur nisi ab ipso approbati. Tantùm anno Magistratum in hac approbatione sive confirmatione non debere protrahere, neque quem Ecclesia elegit, rejicere, nisi ob justam & evidenter causam. Hæc approbatio sive confirmationis in se continet Burgundicum P. LAC ET, aut Gallicū PAREATIS, quod etiam de Synodicorum canonum approbatione dictum intelligi volumus. Ad illa, quæ ex Beca & similibus authoribus allegas, non habeo necesse respondere. sunt enim magis facti, quam juris; neque mihi constitutum est vel excusare, vel accusare, quicquid alij vel ratione secularis potentiae, vel respectu juris patronatus, vel authoritatis papalis augendæ causa ad Ecclesiam opprimendam fecerunt: tantum disporto, quid secundum Dei verbum fieri debeat. Nemo negaverit, ordinem politicum & Ecclesiasticum in his provinciis fuisse admodū perturbatum. Politiam degenerasse in tyannidem docet sexennium Albani. Curam animarum fuisse

fuisse in conscientiarum carnificinā transmutatam testatur inquisitio Hispanica. Cūm autē Deus per Principem Auroraum Provinciis aliquam libertatem concederet, omnes boni viri dederunt operā, ut & politicū & Ecclesiasticū statum emendarent. Si hic non semper assecuti sunt quod optimū est, non propterea à nobis reprehendi flagellarivē debent. Si considerabis illas molestias, difficultates, remoras, pericula, impedimenta & obstacula, cum quibus isti heroes, qui primi reformatores fuerunt, semper colluctati sunt, meritò miraberis illos rēm tam perturbatam & penè deploratā ad hūc statum reducere potuisse. De politia nihil dicā; de Ecclesia mihi dicere fas est, & tu mihi necessitatē dicendi imponis. Heroas n. illos criminari, & multorū errorum accusas. Ego non interfui istis deliberationibus, quę propter Ecclesię emendationē institutę sunt, neq; propter etatē interesse potui. Ex effectis tamē colligere possum, quid maximē secutis sint. Erat eo tempore Embdana Ecclesia toto orbe celeberrima. ANNA Oldenburgica Comitis ENNONIS vidua nunquā satis laudata heroina erat purę religionis amantissima, in Republ. gubernāda, & Ecclesia cōstituenda germani fratri Christophori Oldenburgici cōcilio utebatur. erat hic propter rerum gestarum magnitudinē, politicā prudentiā, præclarā eruditio, & singularē pietatē apud omnes Imperi Rom. ordines in magna existimatione. Huc accedebat, quod bello Smalcaldico Caroli exercitum feliciter dissipabat, & Bremā periculosa & diuturna obsidione liberabat. Hęc & similia heroica facta comiti Christophoro ingentē autoritatē conciliabant. Libenter igitur nobiles & cœteri ordines Ostfrisiæ sequebātur, quod à tāto

Y 3 heroë

heroë profectum esse opinabantur. Hic vero in rebus Ecclesiasticis communicabat sua cōsilia cum Philippo Melanthone, Georgio principe Anhaltino, & Alberto Hardenbergio: ita germanæ sorori non nisi optimæ consilia suggerebat. Accidebat præterea, quod tempore Maria-
no multi pij propter confessionē Iesu Christi ex Anglia
profligabantur, hi extorres & patriā exules ab Anna Ol-
denburgica recipiebantur; inter illos erat doctissimus &
nobilissimus vir Iohannes. A Lasco qui paulo antè pro-
pter Interimistica n. tempestatem ex Frisia discresserat,
& Martinus Micronius. Hanc occasionem non neglexit
ANNA Comitissa Ostfrisiæ; sed ex fratribus consilio Lasco-
nem rursus præfecit omnibus Ecclesiis Ostfrisiæ, Micro-
nium verò præfecit Ecclesiæ Nordanae. Hi unā cum pi-
entissimiis viris, pastoribus Embdensibus, quod in Ger-
mania, Anglia, aliisque Regniis optimum esse viderunt,
in Ecclesiam Embdanam introducebant, parvoque tem-
pore efficiebant, ut ~~tertia~~ omnes Reformatas Ecclesiæ,
quæ sunt in Europa, vinceret atque superaret. Pastores
erant viri pij, docti, & ad Ecclesiam regendam perquam
accommodati. Quicquid hi ad Ecclesiæ emendatio-
nem necessarium esse uidicabant, hoc Magistratus liben-
ter approbabat, idque ipsum populus non illibenter se-
quebatur. Deinde cordati, honesti, & prudentes viri
constituebant presbyteri, ut viderent ne ministri in
concionibus ab analogia fidei deslegerent; aut dicendi
libertate ad affectus suos fovendos abuterentur, & ue-
una cum ministris censuræ morum præcessent. Ex fidis,
industrijs, & ~~malib~~ hominibus eligebant diaconos,
ut pauperes & egenos curarent, viderentque ne cui quid
deesset.

deesset, & ne eleemosynæ ad desidiam alendam in inertes & helluones conserrentur. Huic ordini ita benedicebat Deus, ut cum plurimi egeni, & inopes ex vicinis provincijs Embdam profugerent, nemo egeret, & civitas ista omnibus divitijs afflueret. Tani concinnè magistratus, ministri Ecclesiæ & populus congruebant, ut Embdana Ecclesia pro exemplo bene constitutæ Ecclesiæ omnium confessione haberetur. Hanc ob causam MELANTHONI Embda dicebatur quasi non veritas, & MOLANVS dicebat, quod esset laborantū veri stabilissima nutritrix. Memini, cum ante triginta duos annos doctissimi & tota Europa celeberrimi viri CHRISTOPHORVS PEZELIVS, & CASPARVS CRUCIGERVS istuc venirent, & Ecclesiæ coram intuerentur, cum summa admiratione dicerent, se tum primum vidisse vivam Apostolicæ Ecclesiæ imaginem. Hanc puto esse causam, quare exsules Belgæ, cum serio cogitarent de Ecclesiastici status emendatione, Embdam elegerint, quo convenienter, & certum ordinem constituerent, quem omnes, si unquam in patriam remeare contingeret, sequerentur. Factum est hoc anno septuagesimo primo. Hic ordo concilio Embdano, quod anno superiori Delphis excusum est, continetur. Est enim hoc concilium quasi explicatio quædam Ordinis Embdensis, & ad imaginem sive exemplum Apostolicæ Ecclesiæ quam proximè accedit. Ad hoc exemplū synodo Embdensi expressum omnes Ecclesiæ Belgicæ institutæ sunt; Iuxta hunc ordinem elegit Ecclesia Belgica suos pastores, presbiteros & diaconos; ad hunc eundem ordinem instituit classes & synodos. Plerique enim ab exilio in patriam reversi, vel ad Reipb. gubernacula admo-

admovebatur, vel seniores aut diaconi Ecclesiarum creabantur; atque ita unâ cum ministris Ecclesias Belgicas his quadraginta annis administrârunt: ut nihil certius sit, quam illos non solum tacito consensu, sed etiam ipso facto hunc ordinem approbasse. Deinde pleræque provinciæ etiam publicâ authoritatem hunc ordinem confirmârunt. Evidem Ordines Frisiæ mandant suis Deputatis, ut religionem huic ordini convenienter curent. Primum enim membrum instructionis ipsorum sic habet. Primum Deputati tenebuntur presentem religionem reformatam sartam conservare tueri, & ei continuanda operam impendere sine ulla mutatione, ac propterea debebunt ante omnia diligentem curam habere totius Ecclesie in hac nostra patria, universig ejus corporis, quo nomine significamus classes & synodos, adeoq; præcipua ejusdem Ecclesia membra, cuiusmodi sunt verbi divini ministri, seniores, diaconi pauperum, curæ prefecti, & quicunque officio aliquo funguntur, singula cum collegijs aut cœtibus suis, ita ut omnes iam dictæ generales & particulares partes & cœtus ad Ecclesiæ pertinentes, secundum id, quod Apostolus nos docet, decenter & exortatus habeantur, atque id in eum porro finem, ut in cœtibus illis Ecclesiasticis diversis, tum generalibus, tum particularibus, et per eosdem in universo agro & oppidis hujus nostræ patriæ disciplina Ecclesiastica, imo etiam generatim uniformis quedam et ad ædificationem utilis, & Christiano nomini ac pietati conveniens Ecclesiastica politia eò rectius constitui, introduciq; eademque sarta recta conservari queat. Atque ut ista sic, ut par est, confici ab ijs possint, nos nomine & authoritate Ordinum huius Provinciae Frisiae, ut nutritiorum sammorumque patronorum Ecclesiæ Det, post ipsum Deum, mandamus, & ius

omnes
ausboc-

authoritatemque tribuimus Deputatis nostris, ut capessant atque usurpent ea media atque auxilia, quæ ad istam rem erunt commodissima & necessaria. idque exemplis aliorum laudatorum reformatam Religionem sequentium Magistratum & Ecclesiarum hujus seculi felicis, cuiusmodi exempla sunt in Palatinatu, Helvetia, Gallia, Anglia, Scotia, Polonia, & regionibus alijs. Facimusque ipsdem illis potestatem cuncta dirigendi, atque agendi cuncta in his pro ut videbitur illis pro modo sapientiae, quâ prædicti sunt, quam maxime expedire, atque ad edificationem facere, pro conditione horum nostrorum temporum, huius populi & regionis: salvo cuilibet vico aut curia jure suo proprio, & dispensandi bona paroicia sue sacerdotalia. Selandiam hunc eundem ordinem publica authoritate approbasse docet Synodus Middelburgensis, quæ anno 91. celebrata, & ab ipsis Ordinibus Selandiæ confirmata est. Hollandiam ipso facto hunc eundem ordinem approbasse, docet Synodus prima nationalis, anno 1578. Dordraci habita, & altera nationalis anno 81. Middelburgi coacta. Idem ex decreto Ordinum Hollandiæ, de jure patronatus & beneficiis Ecclesiasticis facto, colligi potest, ut suprà ostensum est. Adde pene in omnibus urbibus, in quibus illi, qui magistratu funguntur, Ecclesiæ reformatæ nomen dederunt, hoc semper fuisse observatum, ut illi, qui magistratum gerebant, essent vel presbyteri, vel diaconi, quo facto ostendunt, ordinem præsentem sibi probari. Deinde quia in hoc ordine nihil est, quod cum Sacra Scriptura pugnat, confidenter dico, primos reformatores videri rectè fecisse, quod hunc Ordinem in Ecclesiam Belgicam restituerint, & modernos magistratus videri rectè facere, si eum Ecclesijs lartum

Z. tectum

rectum conservent. Cùm annis superioribus de hac eadem re lis esset inter Ennonem Comitem Oostfrisiæ & subditos ipsius; Comes contendebat electionem ministrorum Ecclesiæ ad se pertinere jure patronatus , & de eo ultra sexaginta annos præscriptionem prætendebat: Subditi contra nitebantur , & docebant electionem pastorum pertinere ad Ecclesiam. Hæc controversia intercedentibus Ordinum Generalium legatis ita composita est , ut Comes liberam electionem pastorum restituerit subditis, & sibi confirmationem solummodo reservaverit, atque ita hæc lis vel sublata, vel sopita est. Sed visnè mihi persuadere, Ordines Generales, qui suâ intercessione effecerūt, ut subditis aliorum principum hoc jus longo tempore intermissum restitueretur, velle hoc ipsum à subditis suis, qui eo hactenus usi sunt, & adhuc utuntur, auferre? aut visnè hac tua rhetoricatione efficere, ut Ordines Generales, qui ab humanitate & benevolētia erga subditos suos tantopere commendantur, sint iniquiores erga subditos suos , quam erga alienos , & ad se nihil omnino pertinentes? Vide, hoc jus pertinet aut ad Magistratum , ut tu vis : aut ad Ecclesiam , ut ego volo. Si pertinet ad Ecclesiam , Ordines rectè fecerunt, quod suâ intercessione effecerunt, ut illud Ecclesiæ restitueretur: si non pertinet ad Ecclesiam , sed ad Magistratum ; qui poteris illos ab injustitia excusare, quod illud, quod Magistratus erat, ipsorum intercessione à Magistratu auferretur, & transferretur ad illos, ad quos nullo jure pertinebat? Hæc sufficerent ad thesin, quam proposui, probandam. Sed quia ex juvenili petulantia ministros Ecclesiarum nostrarum rudes , eosque diaconos indige-

indigetas, eorum æqualitatem exagitas, præsens Ecclesiæ regimen subsannas, presbyteros spernis, & me puritanismi accusas, plusculum mihi de hisce dicendum est. Ministros vocas διάκονοις, sed nomen διάκονος aliquando pertinet ad omnes functiones Ecclesiasticas, & ipsos Apostolos sub se comprehendit, Eph. 3.7. *Cuius Euangeli⁹ ego factus sum διάκονος.* Vide & Colof. 1.23. Illorumque munus vocatur διοκονία. Rom. 11.13. & 15.31. & ἡγε-
τὴν dicitur διακονία τῷ λόγῳ. Act. 6.4. aliquando verò stri-
ctè accipitur pro illis, quæ ærario Ecclesiastico præsunt,
& eleemosynas pauperibus distribuunt, atque ita ab Ec-
clesijs Belgicis ea vox communiter usurpat⁹. Si illo
modo nomen διάκονος accipis, non nego pastores Eccle-
siæ διάκονοις dici posse. Interea scire debes, ministros sive
pastores, qui Ecclesiam pabulo verbi divini pascunt, esse
Episcopos Ecclesiarum Belgicarum. Omnes enim, qui
tempore Apostolorum Ecclesiam pascebant, communi-
ter presbyteri, pastores, Episcopi, diaconi vocabantur.
Illos vocatos esse presbyteros, pastores, & diaconos ex-
tra controversiam pono. Eosdem vocatos esse Episco-
pos, docet Apostolus Act. 20.17. *Mis̄is Mileto nuncij⁹ E-
phesum, accessit presbyteris Ecclesie, & ad hos dicit com-
mate 28. Attendez vos ipsos, & totum gregem, in quo vos*
Spiritus sanctus constituit διάκονοις ad pascendam Ecclesiam
Dei, quam proprio illo sanguine acquisivit. Philip. 1.1. Pāulus
Apostolus, & Timotheus omnibus sanctis, qui sunt Philippis,
unā cum Episcopis & diaconis. Quilibet videt omnes illos,
qui Ephesi & Philippis Ecclesiam verbo Dei pascebant,
*ab Apostolo dici Episcopos, quid ni igitur omnes pasto-
res, qui Amsterodami, & Leowardiae Ecclesiam Dei A-*

Z. 2 postolico

postolico exemplo pascunt, Episcopi Amsterodamenses & Leowardienenses dici possint? de coeteris est idem iudicium. Accipe hujus rei generalem regulam, quod Apostolus dicit, se Titum reliquisse in Creta, ut constituat oppidum presbyteros, Tit. 1.5. & hos ipsos comm. v 11. vocat Episcopos, ut manifestum sit, pastores Ecclesiarum tum promiscue Episcopos & presbyteros vocatos esse. Subsequens Ecclesia idem docuit, Hieronymus in Epistolam ad Titum. c. 1. Idem est presbyter, qui Episcopus. Idem ad Pammachium. Inter Presbyterum & Episcopum nihil interest. Chrysost. homil. 2. ad Titum. Presbyteros Episcopos intelligi vult. Lonibardus lib. 4. distinct. 24. c. 8. Apud veteres idem Episcopi & presbyteri fuerunt. Gratianus dist. 21. cap. Cleros. Apud veteres idem Episcopi & Presbyteri fuerunt. Hieronymus ad Evagrium & Gratian. dist. 93. c. legimus. Apostolus perspicue docet eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos. Quaris autoritatem, inquit Hieronymus, audi testimonium. Paulus & Timotheus servi Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, quis unt Philippis, cum Episcopis & diaconis. Vis & aliud exemplum? In Actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ sacerdotes sic ait Paulus: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ut regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in una Ecclesia plures fuisse Episcopos contendat, audi aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eundem esse episcopum atque compresbyterum. Propter hoc reliqui te in Creta — ut constitueres Presbyteros per civitates. — Si quis est sine crimine, unius uxoris vir. Oportet enim Episcopum sine criminе esse. Omnes igitur illos, qui in fœderatis

ratis provinciis Ecclesiam verbo Dei pascunt, Episcopos Ecclesiarum Belgicarum esse noveris. Ut ut sit, demodernis Episcopis intelligi nequit. Hujusmodi enim Episcopus non nisi unus in una urbe esse potest: Can. Nic. 8. *ίνα μη ἡ τὴν τόλει δύο ἐπισκόπων ὄστιν. Σοερατ. lib. 6. cap. 22. ἐν δύ-*
ταῖς τόλει δύο ἐπισκόπων εἰχειν.

EIAM exagitas, quod concilio Embdano decretum est, ut nec pastor in pastorem, nec presbyter in presbyterum, neque diaconus in Diaconum imperium habeat; sed ut omnes sint æquali potestate, & putas à puritanismo excusari non posse qui ita sentiunt. Sed scire debes hanc pastorum Ecclesiae æqualitatem habere authoritatem in Dei verbo. Filius enim Dei Iesus Christus vocavit omnes Apostolos eadem vocationis specie, ut unum & idem munus, eodem modo administrarent. atque hi idem munus, inter ejusdem Domini subditos, eodem modo, ex ejusdem authoritate, & propter eundem finem administrarunt. Formula commissionis est, Matth. 28. 20. *Do-*
cete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, et
Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, que mandavi vo-
bis. Ex hac formula, & muneris Apostolici, & modi ad-
ministrationis, & finis identitas colligi potest. Presby-
teri sive Episcopi, qui Apostolos secuti sunt, etiam idem
munus, inter ejusdem Domini subditos, eodem modo,
propter eundem finem, & eadem authoritate admini-
*strarunt. Formula commissionis est, 1. Pet. 5. 2. *Pascite**
gregem, qui penes vos est, curam illius agentes. Ex hac for-
mula presbyterorum sive Episcoporum æqualitas recte
colligi potest. Hanc pastorum æqualitatem agnoscit
*primitiva Ecclesia. Hieronymus ad Evagrium. *Vbicun-**

Z 3 que

que fuerit episcopus, sive Romæ, sive Eugubij, sive Constanti-
nopolii, sive Regij, sive Alexandriae, sive Tanis, ejusdem est me-
riti, & ejusdem sacerdotij. Basilius in Asceticis. cap. 22.
Dominus omnibus pastoribus e qualē tribuit potestatem, cu-
jus signum est, quod omnes ex aequo ligant & solvunt. Cypri-
anus de simplicitate prælatorum. Episcopus unus est, cuius
à singulis tenetur pars in solidum. Cusanus de concord.
lib. 2. cap. 13. Omnes Episcopi sunt aequales quoad iurisdictio-
nem. Non igitur nos puritanismi convincis; sed ostendis
quam sis peritus antiquitatis, dum ex scripturis pasto-
rum, nos puritanismi accusas; & hanc tuam peritiam
multò magis patefacis, cùm dicis ex Apostolico institu-
to aliquem aliis præpositum fuisse, & hunc appellatum
esse Episcopum. Vbi enim, quæso, hoc Apostolicum in-
stitutum exstat? quis Apostolorum illud in suis scriptis
promulgavit? Prometabulas, cedo librum, nomina ca-
put, ede versiculum, ut hanc novam Hugonicam Theo-
logiam plenius cognoscamus. Nos ante ex Sacrae Scri-
pturæ, & orthodoxæ antiquitatis testimonio probavi-
mus, omnes presbyteros sive pastores, qui Ecclesiam pa-
scunt, esse Episcopos, & ex ijsdem fontibus probavimus,
hos omnes ratione Episcopatus inter se e quales esse. De-
inde sancti Patres docent hanc ordinum inæqualitatem
non esse ex Domini institutione, sed ex consuetudine.
Hieronymus sane scribit in epistolam ad Titum. cap. 1.
Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine Episcopo sibi præ-
posito subiectos esse. Et noverint Episcopi, se magis consuetu-
dine, quam dominice dispositionis veritate Presbyteris esse
majores. Et non puderet te scribere, ex Apostolico insti-
tuto esse, ut unus aliis preponatur, & Episcopus dicatur.

Hoc

Hoc unum arguit quam sis peritus orthodoxæ antiquitatis! Sed instas, Anglicanam Ecclesiam h̄ic à nobis disidere; Hoc scilicet illud erat, quod quærebas; volebas pastores Belgicarum Ecclesiarum cum Episcopis & Archiepiscopis Anglicanis committere, aut certè voluisti illos à nobis abalienare: Sed impostura apparet, & non permittet Deus, ut illi, qui Deum sincerè timent, & orthodoxam religionem ex animo amplectuntur, sese ob tam levem causam in se mutuò committi, concitarique patiantur. Sed hoc modo, inquis, non satis facis Ecclesiæ Anglicanæ Antistibus. Iubeo te de hac re esse securum. Sciunt Angli & confitentur hoc ita se habere. Evidem doctissimus vir Iohannes Reinoldus Theologus Anglicanus in colloquio cum Harto. cap. 8. sect. 3. disertè dicit *Episcopi nomen fuisse olim presbyteris & pastoribus Ecclesia commune.* Idem docet Witakerus controversia 1111. q. 1. cap. 111. sect. xxix. & Sutlivius lib. 1. de Papa. cap. v. Sciunt igitur, & confitentur Antistites Anglicani, Episcopi nomen olim presbyteris & Episcopis fuisse commune, & hos ipsos inter se fuisse æquales. Vide Reinoldum colloquio cum Harto. cap. viii. sect. 111. Witakerum controversia. 1111. q. 1. cap. 111. sect. xxix. Sutlivium de Papa lib. 1. cap. v. Vide etiam magnum illum Iohannem Ivellum, non tantum suæ Angliæ, sed totius Christiani orbis decus, articulo 4. sect. 6. contra Hardingham. neque tantum hoc sciunt; sed etiam contra Papistas nobiscum constanter defendunt. Ut autem hi ex dominica institutione in principio æquales fuerunt: ita postea ob graves causas, inter illos, ab Ecclesia subsequentे gradus & ordines constituti sunt. quidam dicunt hoc schisma-

schismatis vitandi causa factum esse. Hieronymus ad E-
vagrium. Quod autem postea unus electus est, qui ceteris
præponeretur, in schismatis remedium factum est. Idem in
Epistolam ad Titum. cap. 1. Idem est presbyter, qui & Epi-
scopus, & antequam Diaboli instinctu studia in religione fie-
rent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, Apollo, cephe-
1. Cor. 2. 1. communi presbyterorum consilio Ecclesia guber-
nabantur: postquam verò unusquisque quos baptizaverat, suos
esse, non Christi putabat, in toto orbe decretum est, ut unus de
presbyteris electus ceteris superponeretur, ad quem omnis cu-
ra Ecclesia pertineret, & schismatum semina tollerentur. Et
ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos
& Episcopos: paulatim verò ut dissentionum plantaria tolle-
rentur, ad unum omnium sollicitudinem esse delatam: ut ergo
presbyteri scunt, se ex Ecclesia consuetudine episcopo sibi præ-
posito subjectos esse: ita episcopi noverint, se consuetudine ma-
gis, quam dominicae dispositionis veritate presbyteris esse ma-
iores. Fere autem observarunt, ut illum, qui inter presby-
teros primus erat, Episcopum vocarint. Augustin. lib. qu.
ex utroque mixtim. qu. 101. Presbyterum intelligi Epi-
scopum probat. Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem
ordinavit presbyterum, instruit, qualis debeat creare episco-
pum. Quid enim est episcopus, nisi primus presbyter. Ambro-
sius in 4. caput ad Ephesios. Primi presbyteri appellabantur
episcopi, ut recessente uno sequens succederet. & in caput 3. 1.
Epist. ad Timoth. Omnis episcopus presbyter est; non tamen
omnis presbyter est episcopus. Hic enim est episcopus, qui inter
presbyteros primus est. Sed etiam hæc Episcopi constitu-
endi ratio deinde mutata est. Nam cum multi fierent
Presbyteri, qui parum idonei essent ad totam Ecclesiam
guber-

gubernandam, factum deinde est, ut communi consensu optimus ex collegio presbyterorum elige retur, & Episcopus vocaretur. Ambros. in 4. cap. ad Ephes. *Quia cœperunt sequentes presbyteri inveniri indigni ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temerè usurparet, & eſſet multis scandalum.* Doctorissimus Rainoldus in colloquio cum Harto scribit, hunc honorem antiquitus delatum esse illi, qui ad Ecclesiam gubernandam aptissimus esse judicabatur. addit totius alicujus provinciæ Episcopos ad res Ecclesiasticas constituendas aliquando congregatos fuisse, & ut omnia in hujusmodi congregationibus decenter fierent, unum aut omnium, aut plurimum consensu fuisse electum, qui istis cœtibus præsideret. Quia verò hi conveniunt fere semper in præcipua urbe istius provinciæ indicebantur, factum esse, ut qui omnibus Episcopis istius provinciæ præstaret, in ista urbe Episcopus constitueretur. Deinde quia ille inter ceteros pietate, eruditione & prudenter eminebat, factum esse, ut omnes huic plurimum honoris & authoritatis detulerint, effecerintque ut semper in istis Episcoporum conventibus præsideret, & ut ceteri sine ipsius consilio nihil facerent, eumque vocarent Archiepiscopum. Quin etiam dicit, Ecclesiâ politiam imitante tandem factum esse, ut Episcopi, Archiepiscopi que civili potestate armarentur. Hæc ita se habere res ipsa docet, tota antiquitas testatur, & præstantissimi Theologi unanimi consensu confitentur. ut mirari sat nequeam, quâ fronte ausus fueris hæc, quæ non didicisti, flagellare. Sed ut redeam unde digressus sum. cùm Angli Ecclesiam reformarent, judicarunt è re Ecclesiæ

Aia esse,

esse, ut subsisterent in eo ordine, qui schismatis vitandi,
& ordinis servandi causa à sanctis patribus, post Aposto-
lorum ætatem institutus est. Belgæ verò in Embdano
concilio congregati, judicârunt se rectè facturos esse, si ad
primam originem redirent, hoc est, si istum ordinem,
quem Filius Dei Iesus Christus instituit, & ipsi Aposto-
li secuti sunt, in Ecclesiam reducerent. Hic interrogo
omnes doctos & pacis amantes viros, An pastores Belgi-
ci, qui Anglicanos posterioris ordinis causâ in eminentia
constitutos honorant, & reverentur, propterea contem-
ni & sperni debeant, quod ad primam originem reversi,
mandato munere secundum Dei verbum in paupertate
& humilitate ritè funguntur. Evidem ut nos Anglica-
nos, & cœteros in eminentia constitutos honoramus:
ita speramus nos illis, dummodo mandato munere Dei
verbo convenienter fungamur, non fore despici. Huc
accedit, ut dicam paulò liberius, non quemlibet ordi-
nem omni populo convenire. Nam si quis ordinem &
regimen Genevense vellet in Ecclesiam Tigurinam in-
troducere, ille magnas turbas Tiguri concitaret, & for-
tasse nihil promoveret. Et vice versa, si quis ordinem &
regimen Tigurinum vellet in Ecclesiam Genevensem
introducere, ille Ecclesiam Genevensem funditus dissi-
paret. Planè eodem modo, everteres Ecclesiam Belgi-
cam, si in eam Anglicanum ordinem introduceres, & ro-
tam Angliam concitares, si in illam ordinem Belgicum
inveheres. Ob eam causam in hujusmodi adiaphoris re-
bus debemus nos mutuò ferre, si non volumus nos aliis,
& alios nobis esse scandalo. Doctissimi viri Martinus Bu-
cerus, Paulus Fagius, Petrus Martyr, Rodolphus Ceva-
lierius hanc meam opinionem suo exemplo approbârūt.

Cùm

Cum enim Argentinæ, Genevæ, & Tiguri agerent, sequebantur ordinem in istis Ecclesiis receptum, atque hi ipsi cum se in Angliam receperint, non opponebant se ordini Anglicano. Eodem modo cum doctissimus Ivelius & alii in Anglia viverent, sequebantur ordinem Anglicanum; & hi ipsi, cum tempore persecutionis Marianæ, in Helvetia viverent, non oppugnabat; neque despiciabant ordinem Helveticum. Faciamus nos eodem modo, & non erit necesse, ut de hac re cum quoquam litigemus.

Hic non subsistit tua pietas, sed dicas, me prævaricari? Esse enim duplēm quæstionem unam, quis ejecerit *Episcopos extra Ecclesiam?* Alteram, quis ejecerit *ordinem Ecclesiasticum ex Republica?* & agnoscas hoc posterius factum esse à politicis. Eo igitur præterito, dico Ecclesiam non esse, neque posse esse sine Episcopis; addo me ante ex Dei verbo, & ex orthodoxa antiquitate probasse, omnes illos pastores, qui Ecclesiam ritè & legitimè pascunt, esse Episcopos. Vnde apparet primos Reformatores Ecclesiarum Belgicarum, non ejecisse Episcopos ex Ecclesijs Belgicis, ut tu garris, sed reduxisse Episcopalem ordinem ad primam originem. Etiam insultas illis, quod cogantur abstinere à politicis deliberationib. & sub hoc prætextu videris operam dare, ut quemadmodum politici omnem politicam potestatem, & jus deliberandi in ea ad se transstulerunt: ita etiam omnem Ecclesiasticā potestatem, & jus deliberandi in ea ad se pertrahant; ut quemadmodū Ecclesia miserimā servitute à Papa oppressa fuit: ita nūc vel eādem, vel simili servitute à politicis opprimatur. Expende autem quam hoc sit periculōsum. Tu enim tuo iudicio videris inter omnes Hollandos esse doctissimus.

Aa 2. Facile

Facilè igitur vel ex hac una tua pietate colligere poterūt Belgicæ Ecclesiæ , quid sibi de politicis polliceri deberent, si cœteri politici essent tui similes , & omnis potestas constituendi deponendique pastores , mutandi doctrinam, ferendi leges de rebus Ecclesiasticis, dijudicandi controversias fidei etiam extra concilium ad illos pertineret. Sed spero non omnes, qui ad Reipubl. gubernacula sedēt, his tuis suggestionibus aures præbituros esse.

Tandem etiam interitum Flandriæ pastoribus imputas, & hoc quorundam prælatorum, qui ad hostem transferunt, testimonio probare conaris. Quod ad me attinet, non vidi Flandriam, neque unquam fui in Flandria; multò minus interfui deliberationibus aut actionibus Flandricis : non possum tamen negare, quin admodum illiberaliter facias , qui ad hoc ipsum probandum ab hoste testimonium petas. Si quis ex illorum libris collegerit, quid de nostris politicis scribant, & ex eo de illius aliarumque provinciarum interitu , & de toto hoc bello judicaverit, fecerit multis bonis viris, & de Republ. quam optimè meritis injuriam. quid igitur de hac tua accusacione boni viri judicent, ipse videris. Huc accedit, illos, qui causas, propter quas Artesia & Hannonia tempore pacificationis Coloniensis desciverunt, sciunt; & dissidia eorumque causas inter ipsos Ordines, cùm Alensonius, & Princeps Palatinus in Belgicam duxissent, non ignorant, facilè videre te hominibus innocentibus injuriam facere. Adde, in tota Frisia ne unum quidē, quod sciam, ministrum esse, qui illo tempore in Flandriæ Ecclesiæ ministrum ēgerit. Si in Hollandia aliqui agunt, & hujus erminis rei sunt, quare illos non afficitis digno suppicio, ut alii horum exemplo τὸν παγκοστύλῳ fugere, & mandato

dato munere fungi discant?

Addis ipsos pastores (quod peine præterieram) Reformatæ Religionis impedivisse synodi Nationalis convectionem, eò quod non voluerunt in Catechismi & confessionis Belgicæ REVISIONEM consentire; quod arguit tibi perinde esse, quid scribas. In omnibus enim Nationalibus synodis, quæ hactenus in foederata Belgica celebratæ sunt, Catechismus & Confessio prælecta fuerunt, ut unusquisque liberè diceret, si quid contra hanc vel illum haberet: & si nemo esset qui in hac vel illo quicquam desideraret, denuò vel publico decreto, vel tacito consensu approbarentur. Ita factum est in concilio Nationali Middelburgensi, Dordraceno & Hagensi, neque quisquam impedire voluit, quo minus hoc ipsum in futura Synodo fieret. Attamen, inquis, Doctores & Pastores qui Hagæ in conventu præparatorio congregati erāt, petebant ut illa vox REVISIONEM in litteris, quibus Generales Ordines synodus convocaturi erant omittetur. Ita est, atque hujus rei habebant justas causas. Nam qui in judicio REVISIONEM requirunt, ceciderunt causa: Ecclesiæ verò Reformatæ non ceciderunt causâ suâ. nunquam enim legitimè citatæ, nedum convictæ, multò minus condemnatæ sunt. Quod ad rem ipsam attinet, urgebant Harminius & Vtenbogardus, ut unicuique concederetur in futura Synodo liberè proponere, si quid contra Catechismum & Confessionem haberet. atque hoc concedebatur. convent. præparator. ad quæst. sextam. Erit cuilibet, qui in Synodo comparebit, et aliquem scrupulum in doctrina habet, liberum, suam opinionem Synodo proponere. Cum hoc concessum esset, ostendebant reipsa se hoc non querere, sed longè aliud spectare. Quid hoc erat? volebant

illam.

Aa 3

ut

ut omnes Doctores & Pastores REVISIONEM peterent, h.e. ut una cum ipsis Catechismum & Confessionem oppugnarent. Sed hoc erat iniquum. Nam ut nos illis concedebamus libertatem oppugnandæ doctrinæ, de quæ dubitabant, ita debebant nobis doctrinæ, de cujus veritate persuasi eramus, defendendæ libertatem relinquere. Non enim debebant à nobis petere, ut de qua doctrina certi eramus, dubitaremus. multò minus debebant à nobis postulare, ut doctrinam, de qua minimè dubitabamus, oppugnaremus. sed his rationib. non movebantur. magis enim, ut apparebat, nitebantur favore brachii secularis, quam causæ honitate. Reipsa enim compertum fuit, articulos qui nobis proponebantur, ab Vtenbogardo profectos esse. Accidit enim casu an de industria, ut qui articulos nobis propositos acceperunt, illos perderent. et cùm de ea re in conventu præparatorio quererentur; placuit ut aliud exemplum à Graphiaro petetur. Ibi tum Grapharius, quia aliud exemplum non habebat, dabat illis, qui ad ipsum ea de re missi erant, exemplum ipsius Vtenbogardi manu scriptum. Vnde facilem intelligebamus, ex quo fonte isti articuli profecti essent, & cujus arbitrio ista actio gubernaretur. Cùm hoc videré, dicebam consultum esse, ut ab Ordinibus Generalibus peteremus, ut tres aut quatuor ex suo Collegio, & inter illos advocationem. Status IOHANNEM BARNEVELDUM mitterent, qui nostris deliberationibus interessent, rationes utrinque audirent, & de illis bona fide ad Collegas referrent: sed hoc maximè ab illis, qui orthodoxyæ favebant, impetrari non potuit. Si mihi hac in re obtemperatum fuisset, nullus dubito, quin Ecclesiis Hollandicis illo tempore fuisset rectius consultum. Video hoc anno simili-

simili ratione actum esse, quod propterea scribo, ut ostē-
 dam Christianos magistratus, si Ecclesiarum tranqui-
 litati consultum volunt, ex unius aut paucorum uni
 parti addictorum arbitrio res tantas administrare non
 debere. sed redeo ad propositum. Arbitrabamur omnes
 nullam rem nisi Nationalem synódum posse illis malis,
 quæ serpebant, mederi. Ne igitur concilii vel denegan-
 di, vel differendi ullam occasionem p̄æberemus. Con-
 sensimus in ipsam REVISIONEM, & tantum petivimus, ut
 scandali vitandi causa alia vox in litteris convocatoriis
 usurparetur. Convent. parat, ad quæst. octavam. Petimus
 à vobis qui Generales Ordines harum Provinciarum fœderata-
 rum representatis, ut in formula convocationis synodi nationa-
 lis verba ista DE REVISIONE CATECHISMUS ET CON-
 FESSORIS, (quibus Ecclesiæ ferè omnes, quæ scripta ista Dei
 verbo congrua esse censem, se valde angi queruntur) omittant,
 quietis & pacis Ecclesiarum gratia, & ob causas alias non con-
 temnendas, quas si necesse sit in mediū proferre, parati sumus,
 cum nonnulli nostrū specialia mandata habeant in hanc rem
 non solum ab Ecclesiis, sed etiam ab Ordinibus provinciarum
 suarum, qua etiamsi poscantur, jussi sunt exhibere. Quapropter
 obnoxie & humiliter precamur, ut verba alia minus noxia il-
 lorum loco in formula ponantur; ut consulatur confirmationi
 concordiae, propagationi puræ doctrinae, conservationi boni or-
 dinis, & pacis in tota Ecclesia, promotioni pietatis in toto po-
 pulo harum provinciarum. Quod cum rogamus, in hac tamen
 sententia sumus, in synodo Nationali non utique oportere, sed
 LICERE CONFESSORI ECCLESIAVM BELGICA-
 RVM RECENSERI, siquidem ipsa Synodus ex re nata id ne-
 cessere esse judicaverit, & liberum fore cuilibet, qui aliquid ad-
 versus eam habeat, hoc ipsum, sicuti par est, in medium afferre,
 in

in eum finem, ut idem à synodo ex Dei verbo expendatur, ja-
dicetur, & determinetur. Hæc sunt in publica acta relata,
hæc acta sunt ipsis Ordinibus Generalibus exhibita. post
hac igitur rectè feceris, si in veritatem diligentius inqui-
siveris.

Quod ad Catechismum attinet, non potuimus in e-
undem modum respondere. Est enim opus alienum, fa-
ctum à FREDERICO P 10, ob quam causam dictum est,
nos rectè facturos esse, si ab Ordinibus Generalibus pe-
teremus, ut doctissimos Theologorum, qui sunt in Pala-
tinatu, ad futuram Synodus amicè invitarent, & nos in
alieno opere nihil nisi ex communi consilio tentaremus.
Tu ipse non negaveris hoc consilium spectasse ad Eccle-
siarum Belgicarum, & etiam aliarum concordiam con-
servandam.

Vt nihil intactum prætereas, etiam in presbyteria no-
stra irruis, & totum hunc ordinem, ut nuper aut nudius-
terius inventum, & Reipublicæ noxiū, non tolerandū
esse doces: sed scire debes, hunc ordinem habere autho-
ritatem in Dei verbo, & exemplo primitivæ Ecclesiæ
probari posse. Dei verbum docet Paulum & Barnabam,
cùm Antiochiæ de justificatione controversia mota es-
set, profectos esse Hierosolymam ad Apostolos & Pres-
byteros, Act. 15. 2. eosdemque Hierosolymæ ab Aposto-
lis & presbyteris acceptos esse, vers. 4. Apostolos item &
presbyteros congregatos fuisse, ut de hac quæstione dispi-
cerent. vers. 6. Apostolos denique & presbyteros hanc
controversiam definivisse, vers. 22. & synodicum decre-
tum ad fratres qui Antiochiæ manserant, perscripsisse.
vers. 23. & cœteris Ecclesijs servanda tradidisse, quæ ab
Apostolis & senioribus Hierosolymæ determinata erant.

A Et.

Act. 16. 4. Ut autem hæc materia rectè intelligatur, paulò altius repetenda est. Iudaica Ecclesia quamdiu Leuiticum sacerdotium stetit, in singulis urbibus habuit seniores, qui dabant operam, ut omnes decenter viverent, & eos, qui exorbitabant, vel in viam reducerent, vel si contumaces essent, ejectione è synagoga, aut aliis modis coicerent. Levit. 19. 12. Tunc mittent Seniores urbis illius, & abstrahent eum inde. Deut. 21. 6. Seniores urbis ejus — lavabunt manus suas. Deut. 21. 19. Tunc apprehendent eum pater & mater ejus, & adducent eum ad seniores urbis. Deut. 22. 15. Pater & mater puellæ proferent signa virginitatis puellæ ad seniores urbis. vers. 18. Seniores urbis illius apprehendent virum, & flagellabunt eum. Iosuæ. 20. 4. Loquetur in aribus seniorum urbis istius. Ruth. 4. 9. Ait Booz senioribus & omni populo. 1. Samuel. 11. 3. Ad quem dixerunt seniores urbis. 1. Reg. 15. 30. Honora me quæso coram senioribus populi mei. 1. Sam. 16. 4. Commoti sunt seniores civitatis in occursum ejus. Hic ordo duravit usque ad ætatem Christi. Matth. 27. 1. Consilium cœperunt omnes principes sacerdotum & seniores populi adversus Jesum. Mārci 8. 31. cœpit docere, quod oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum & scribis. Hunc eundem ordinem (credo reformatum juxta Dei verbum) retinuit Apostolica Ecclesia, quemadmodum paulò ante ex Actorū decimo quinto & decimo sexto capite docui. Quia vero una cum Apostolis Ecclesiam gubernabant, vocabantur gubernatores, & ipsorum munus gubernatio dicebatur. 1. Cor. 12. 28. Ad Roman. 12. 8. dicuntur præesse. Paræus. sic vocat seniores, qui presides erant disciplina. habuit enim primitiva Ecclesia suum Senatum qui plebem in morum honestate conserueret. Martyr. Qui hoc dono sunt ornati, apti sunt

B. b ad

ad regendum, & politica recte prudenter ergo neverunt tractare. Nam & Ecclesia Christi suam politiam habet. Et quia natus pastor omnia per se ipsum obire non potest, adjungebantur ei antiquities aliqui ex populo seniores, periti et scientes rerum spiritualium, qui erant parochia quodammodo Senatus; hi una cum pastore deliverabant de Ecclesia cura atque inscriptione. At, inquires, paulo ante dixisti, presbyteros esse Episcopos. Recte, sed scire debes in primitiva Apostolica Ecclesia duos fuisse ordines presbyterorum. quidam enim pascebant Ecclesiam pabulo verbi Dei, alij praeterat censuræ morum. i. Tim. 5. 17. Qui bene præsunt presbyteri, duplii honore digni sunt, maxime y, qui laborant in sermone. Vides omnes presbyteros præesse, vel saltem præesse debere, & quosdam ex his laborare in sermone. Hi erant Episcopi, reliqui quia mores populi gubernabant, erant gubernatores. Ambrosius. Et synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, sine quorum consilio nihil agebatur in Ecclesia, quod quam negligentia obsoleverit, nescio, nisi forie doctorum desideria, dum soli volunt alii quid videri. Hi lites & dissidia componebant, ut videre est apud Epiphanium, hæresi. 69. Idem pœnitentibus satisfactionum leges præscribebat, & illos absolvabant, ut docet Socrates lib. 5. cap. 19. Idem Socrates narrat, illos propter foedum facinus Constantiopolis depositos esse. Addit Eudæmonem presbyterum hoc suasisse, & simul suggestisse, ut unicuique permetteretur libertas pro sua conscientia ad mysteria participanda accendit. Crediderim te idem velle. Sed audi quid Socrates de hoc Eudæmonis consilio judicet. Consilium tuum (sunt verba Socratis) Ecclesianè profuerit, an secus? Deus viderit, illud tamen plane animadverto, te an sam dedisse, ut alter alterius peccata minime coarguat, nec observet illud præceptum A. stoli.

foli. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum,
magis autem redarguite. Mirum ni tam grave judicium
Socratis te ab oppugnatione presbyterorum absterreat.
Sed etiam fugillas modum eligēdi presbyteros. At verò
ego jam antē ostendi eorum electionem pertinere ad
Ecclesiam. An verò ipsa multitudo eos immediatè eli-
gat, ut Actorū sexto capite factum esse legimus. An verò
pastores & presbyteri eos nomine totius multitudinis
eligant, eosque deinde toti multitudini proponant, ut
ad factam electionem suum consensum adjungant, aut
doceant non rite electos esse, atq; ita electionem rescin-
dant, perinde est, neq; est quod tu de ea re conqueraris.
Quod autem dicas hoc modo Rempubl. in Republ. statui,
monstro simile esse videtur. Magistratus enim politicus
& Senatus Ecclesiasticus circa diversissima objecta ver-
fantur. Hic enim solummodo curat, ut scandalum à pec-
catore perpetratum vel δυολογία, vel alia ratione com-
modè expiatur, & quæ sunt civilia, vel ad Magistratum
civilem pertinent, prorsus non attingit: Ille verò tantùm
curat ea, quæ ad civilem Magistratum pertinent, & de
scandalo tollendo non est sollicitus. Potest autem fieri,
ut miser homo patrati sceleris poenas det Magistratui, &
scandalum à se concitatum non tollat; potest etiam fieri,
ut scandalum rite tollat, & adhuc Magistratus civilis ju-
dicio sit obnoxius: ut manifestum sit, nihil ineptius dici
posse, quam illos Rempublicam in Republica constitu-
ere, qui in Republica Christiana presbyteria locum ha-
bere cōtendunt. Quid enim! Annon quotidiè videmus,
quod in urbib. benè constitutis sunt diversa collegia aut
curiæ, puta, Sartorum, Vietorum, Naviculariorum, Au-
rifaborum, &c. quas Belgæ Süden vocamus. Quis un-

B b 2 quam

quam sustinuit dicere illos Rempublicam in Republica
constituere, qui in civitate bene constituta tales curias
aut collegia instituunt? ut taceā presbyteria nostra, sicut
& clasles, & synodos, & ceteros Ecclesiasticos conven-
tus ab Ordinibus Frisiæ & Zelandiæ esse publicâ autho-
ritate confirmata, à cæterarum provinciarum Ordinibus
etiam esse ipso facto approbata, quemadmodum suprà
ostendimus. Adde, semper observatum esse, ut ex iis,
qui magistratu funguntur, aliqui sint presbyteri aut dia-
coni. Hoc unicum factum sufficit ad approbationē isto-
rum collegiorum. Huc accedit pientissimum Regem
Britanniæ hęc collegia presbyterorum in suo regno per-
mittere Belgis, quod nunquam faceret prudentissimus
Rex, si per ejusmodi presbyteria Respublica in Republ.
constitueretur. Quin videmus prudentissimum Regem
approbare ordinem Anglicanum, & permittere Belgis
ordinem concilio Emdano congruentem, quo facto o-
stendit se judicare hos extēnos ordines esse rem adia-
phoram. Idem doctissimi viri Ivellus & alii judicarunt.
Nam cùm tempore Eduardi in Anglia viverent, seque-
bantur ordinem Anglicanum; & cùm tempore Mariano
Tiguri & alibi viverent, non opponebant sese ordini
Tigurino, quod & ante Martyrem, Fagium, & Bucerū fe-
cisse docuimus. Vir sapiens igitur de hac re litem non
movebit; multò minus Ecclesiæ bene constitutas pro-
pter rem adiaphoram perturbabit. Magnus Ambrosius
ad Augustinum adhuc Catechumenum, & ad matrem
ejus Monicam de his adiaphoris rebus dicebat. *Ad
quācumque Ecclesiam veneritus, ejus morem servate, si pati
scandalum non vultis, aut facere.* Hoc consilium non puto
illos, qui pacis & concordiæ amantes sunt, aspernari de-
bere.

bere. si hic tamen erro, meliora docentem libenter sequar.

Priusquam desinam, explicandum mihi est, An summus Magistratus in sua ditione dici possit caput aut Dominus Ecclesiæ? Hanc quæstionem mōvent propterea, quod putant, se posse Ecclesias Belgicas cum Anglicanis committere, si id negaverimus; aut posse efficere, ut ipso facto condemnemus illos, qui Conradi vocationi intercesserunt, si id affirmaverimus. Ego ut dicam quod res est, libenter ab hujusmodi quæstionibus, ut quæ nihil utilitatis afferunt, abstinerem: tamen quia nos puritanis, mi accusat, nosque quasi Magistratibus non tribuamus, quod ipsis debetur, odiosè traducit; deinde quia multi à nobis requirunt, ut quid hac de re Sacræ literæ tradunt, perspicuè explicemus: postremò quia Apostolus mādat, ut semper simas parati ad respondendū cuilibet petenti rationem istius spei, quæ in nobis est, 1. Pet. 3. 15. breviter, perspicuè & Sacris literis congruenter ad hanc quæstionem respondebo. Dico igitur has voces, *Dominus & caput*, propriè & impropriè, sive *κατ' ξένον* & communiter accipi. Cùm propriè sive *κατ' ξένον* loquimur. Iesus Christus est Dominus Ecclesiæ. 1. Cor. 8. 6. *Nobis tamen est unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Ratio est manifesta. Quia Iesus Christus Ecclesiam sibi suo sanguine acquisivit, Actorum. 20. 28. Eodem modo si propriè loqui vélis, Iesus Christus est caput Ecclesiæ. Eph. 5. 23. *Christus est caput Ecclesia.* Ratio est æquè manifesta. *Ex eo enim totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intentus agente pro mensura uniuscujusque membra, incrementū capit corpori conveniens ad suissipius extirctionē per charitatem.*

B b 3

Hunc

RESPONSIO

Hunc honorem Iesu Christus cum nemine communiceat. Quia tamen Magistratus loco Dei in mundo justitiam administrat, fit ut illi per similitudinem Dei nomina tribuantur. Psalmo 82.6. Ioh. 10.35. *Ego dixi, Dij es tu.* Plane eodem modo, quia Magistratus Ecclesiam defendit, nutrit, & suo imperio gubernat, per similitudinem *Dominus & caput Ecclesiæ dici potest.* Hoc modo Rex, Princeps, & quilibet supremus Magistratus in sua ditione non propriè, sed per similitudinem *Dominus & caput Ecclesiæ dici potest.* Ne hanc meam responzionem puritanismi accuses, ostendam ipsam Ecclesiam Anglicanā idem cum Ecclesiis Belgicis sentire. Rainoldus colloquio cum Harto. cap. 10. sect. 1. *Calvinus capititis titulum,* ut à protestantibus concessus est, minimè reprehendit: sed quo sensu eum Pontificij praesules ascriperunt, nominatim verò Stephanus Gardinerus, qui eandem perinde urgebat, ac si ex eō voluisse, penes Regem potestatem esse, ut in rebus religionis statueret pro arbitrio suo quicquid voluerit, ac non juxta divinum arbitrium omnia agenda provideret. Eodem vicissim modo Ecclesia caput centuriatores perstringunt. siquidē aiunt, Principes non habere potestatem cudendi formulas religionū, & novos articulos fidei cudendi, ut novos vitulos teroboā. Quod ergo illi reprehendunt, id nos principibus nostris non deferimus, quod nos deferimus principibus, hoc illi non reprehendunt. Quin imò centuriatores eandem principi nostro superemam potestatem, quam nos, ascribunt, neque nostro modo, sed omnibus universim. Eandem etiam Calvinus, neque ille solus aut illi, sed Reformatæ Ecclesiæ unanimi cōsenso universæ. Et c. 1. sect. 2. Docemus Christum esse caput Ecclesia, quatenus eam vivificat suo spiritu, quatenus lux, salus, vita ejus existit, et præsentē esse perpetuo tenemus, ut eam impleas beneficijs suis,

¶ us

Et ut gratiâ gubernet. Quibus nominibus cum Scriptura nomine
Capitis soli Christo per excellentiam quandam attribuat, unde
eum solum caput Ecclesia esse statim concludimus. Nam alio-
quin perspicuum est, (diverso genere & gradu similitudinis)
eos posse dici capita, qui aliquâ aucti sunt in alios vel loci, vel
administrationis prerogativa.

Vt ego de his rebus sentio, ita arbitror omnes Eccle-
sias foederatarum provinciarum Belgicæ sentire, neque
quisquam est, quantum quidem ego sciam, qui de his
rebus aliter sentiat. quod propterea moneo, ut Magnus
Rex, & Regij consiliarij videant, quam vera falsavé sint,
quæ de Ecclesiis Belgicis illarumque pastoribus, supe-
riore anno, in Britannia, cùm tu istic essem, tam cupidè
spargebantur.



FINIS.

E R R A T A.

pag. 3. lin. 24. lege, profitentur. pag. 16. lin. 12. lege nunquam. lin. 14.
lege. in illo invehendo. l. 16. lege hortabatur. 18. lin. 6. lege adoptio-
nem. lin. 8. lege Christi. 22. l. 8. lege quidem. 37. 3. lege innuit. 44. 2.
lege Servetistarum. 61. 15. Zanchiana. 67. 9. blasphemiam. 71. 16.
Deo. 84. 27. impulsu. 85. 21. Athanasius. 88. 13. erat. 90. 29. hinc
infero. 109. 26. lateque. 113. 28. persecutio-nes. 114. 29. advenissé-
t. 115. 14. ordinatè. 116. 8. aut hac occasione. 121. 11. constituant. 125.
17. constanter. 127. 12. universos. 129. 18. adoptionem. 136. 18. filij.
145. 16. Heb. 5. 4. 147. 10. disputationes. 148. 21. magistratus. 149.
22. cogitandum. 151. 10. Christianissime. 152. 3. ligatum. 9. no-
tios. 28. dissimile. 154. 14. Ecclesiastica-
m. 155. 5. anabaptistis. 159.
3. habeat. 27. Hieronymus. 160. 19. dele ut. 21. lege ut ex. 22. pe-
tibus. 162. 2. pastoratum. vicariatum. 6. reservato. 167. 19. ele-
ctionem. 169. 22. huic. 170. 12. beneficia. 172. 4. exactam. 173. 25.
imperii. 179. 1. indigitas. 8. diaxovia. 10. qui. 22. presbyteros. 184. 2.
1. Cor. 1. 12. 13. dissensionum. 185. 6. sacerdotum. 191. 11. præparat.

21917

qStile c.

7560
3:12-
app. 501192

(2:)